OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS AVENIONENSIS

A S. R. C. APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. GABRIELIS DE LLOBET

ARCHIEPISCOPI AVENIONENSIS

EDITA

PARS HIEMALIS



TURONIBUS

SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

LICENTIA ET APPROBATIO

Nos, GABRIEL DE LLOBET, miseratione divina et sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate Archiepiscopus Avenionensis, mandamus omnibus et singulis de Clero Nostro qui ad Officium divinum tenentur, ut in Horis canonicis persolvendis hocce Proprio Sanctorum Diœcesis Nostræ jam a S. Sede die 18 Maji 1876 approbato, et a Nobis juxta Kalendarium perpetuum a S. R. C. nuperrime revisum et injunctum (20 Julii 1914) nunc constituto, in posterum utantur.

Datum Avenione, in Festo Ss. Petri et Pauli App., die 29 Junii 1948.

† GABRIEL DE LLOBET

ARCHIEP. AVENION.

OFFICIA PROPRIA
DIŒCESIS AVENIONENSIS

PARS HIEMALIS

FESTA NOVEMBRIS

DIE 27 NOVEMBRIS

SANCTI SIFFREDI
CARPENTORACTENSIS EP. ET CONF.

Duplex, sed ad modum Simplicis recolendum

Pridie in Vesp. Sabbati ante Dom. I Adventus fit Com. S. Delphinæ :

Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui nobis in beáta Delphína Vírgine sponsa, invíctæ puritátis insígne monuméntum præbuísti : concéde, quæsumus, ut, ejus exémplo et auxílio roboráti, pro castitáte contínuo dimicémus, ac tandem victrícibus líliis cum ipsa coronémur.

Deinde S. Siffredi :

Ant. Ego Dóminus vocávi te in justítia, apprehéndi manum tuam, et servávi te et dedi te in lucem géntium, ut aperíres óculos cæcórum.

℣. Ora pro nobis, beáte Siffréde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui beátum Siffrédum Pontíficem in curándis córporum morbis et dæmónibus effugándis mirábilem effecísti ; ejus nobis intercessióne concéde, ut, ab ómnibus adversitátibus liberáti, diabólica possímus vitáre contágia et te solum Deum pura mente sectári.

Tandem S. Silvestri Abb. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

CLEMENTÍSSIME Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sæculi hujus vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erémum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es : te súpplices exorámus ; ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

Ad Laudes Dominicæ fit Com. S. Siffredi :

Ant. Apprehéndi te * ab extrémis terræ, et vocávi te, et dixi tibi : Servus meus es tu, elégi te ; ne tímeas, quia ego tecum sum, ego Deus tuus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Omnípotens, ut supra 3

In II Vesp. Dom. fit Com. S. Siffredi :

Ant. Ecce ego * addúcam eos ab extrémis terræ, inter quos erunt cæcus et claudus ; in fletu vénient, et in misericórdia redúcam eos.

℣. Ora pro nobis et Oratio ut supra 3

FESTA DECEMBRIS

DIE 19 DECEMBRIS

BEATI URBANI V
PAPÆ ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEUS, qui ad tuénda fórtiter Sedis Apostólicæ jura, fidémque cathólicam late propagándam, beátum Urbánum Confessórem tuum atque Summum Pontíficem constántia roborásti ; fac nos ipsíus præsídiis adjútos ita mi-

litánti Ecclésiæ servíre, ut triumphánti consociári mereámur. Per.

Et fit Com. Feriæ.

In II Nocturno

Lectio iv

URBÁNUS quintus Póntifex máximus, nóbili Grimoardórum gente natus in castro Grísaco, diœcésis Mimaténsis, cum innocénti adolescéntia floréret, monásticum hábitum sub régula sancti Benedícti índuit, ac in Massiliénse cœnóbium sancti Victóris cooptándus, vota nuncupávit. In theologíæ ac juris disciplínis ita excélluit, ut per plures annos, Tolósæ, Parísiis, Avenióne, in Montepessuláno, decréta summa cum laude interpretarétur. Abbas dein sancti Germáni Antissiodorénsis a Cleménte sexto, póstmodum ab Innocéntio sexto sancti Victóris Massiliénsis præses renuntiátus, tam império quam obediéntia summus et exímius, ad majóra jam parátus, dum árduis negótiis et legatiónibus pro Ecclésia fungerétur, in Petri Sedem assúmptus, Avenióne ritu solémni coronátus est.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

VIX ínito pontificátu, ánimum admóvit ad Sedem Apostólicam in Urbem reducéndam, ad mores fidélium emendándos, ad clericórum restaurándam disciplínam, ad claustra reformánda, ad cathólicam fidem propagándam. Apostólicas enim Missiónes, Frátribus Minóribus commíssas, promóvit usque ad Tártaros et últimos Orientáles : multósque hæréticos ex Albánia, Valáchia et Bulgária ad Ecclésiam cathólicam redúxit. Nihil étiam omísit ut Græcórum contumáciam vínceret, recépta semel et íterum ab imperatóre Joánne fidei professióne. Sacrum bellum contra infidéles

indíxit, ac rege Cypri cópiis præfécto, Alexandríam Ægypti feliciter expugnávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

INTERIM civílem Sedis Apostólicæ principátum pene evérsum, Ægídio cardinále Albornótio egrégiam opem conferénte, ita restítuit, ut sibi et successóribus suis necessária tandem libertáte parta, lubens et ovans in almam Urbem, cum ingénti Romanórum gáudio, redíerit. Basílicas Petri et Pauli instaurávit, ac sacrosánctam Lateranénsem ecclésiam incéndio pénitus absúmptam magnis súmptibus restítuit. In qua, cápita Príncipum Apostolórum, retroáctis tempóribus in sacéllum sancti Lauréntii transláta, recognóvit ; éaque solémniter pópulo Románo osténsa, et in thecas insérta auro et gemmis distínctas, fidélibus colénda propósuit. Monastérium in Montepessuláno instítuit : prætérea Montis Cassíni cœnóbium in priscum decus, alter quasi cónditor, redintegrávit. Demum ab Urbe, cum ánimo íterum reverténdi, ob Ecclésiæ negótia discéssit, et Aveniónem pervénit, ubi letháli morbo corréptus, pretiósam mortem oppétiit, anno millésimo tercentésimo septuagésimo. Miráculis post óbitum clarus, depósitus est in sancti Victóris ecclésia, ubi adhuc vivens, sepúlcrum sibi statúerat. Cultum ab immemorábili témpore eidem exhíbitum, post quintum ab óbitu revolútum sæculum, Pius nonus Póntifex máximus, prævio Sacrórum Rítuum Congregatiónis consílio, approbávit et confirmávit ; ejúsque Offícium et Missam sub ritu dúplici, a Clero Románo et a plúribus diœcésibus recitári celebraríque benígne indúlsit.

℟. Iste est, qui ante

Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homil. in Evang. Venit Jesus, de Comm. Summ. Pont.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEUS, qui ad tuénda fórtiter Sedis Apostólicæ jura, fidémque cathólicam late propagándam, beátum Urbánum Confessórem tuum atque Summum Pontíficem constántia roborásti ; fac nos ipsíus præsídiis adjútos ita militánti Ecclésiæ servíre, ut triumphánti consociári mereámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Dum esset * summus Póntifex, terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

Oratio ut supra.

Et fit Com. Feriæ.

FESTUM JANUARII

DIE 3 JANUARII

SANCTÆ GENOVEFÆ

VIRGINIS

Duplex

Omnia ut in Proprio Galliæ.

FESTUM FEBRUARII

DIE 15 FEBRUARII

SANCTI QUINIDII

VASIONENSIS EP. ET CONF.

Duplex

(Vasione : Dupl. I cl. cum Oct. comm.)

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

FÁMULIS tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre, ut qui beáti Quinídii Confessóris tui atque Pontíficis festa percólimus, ejus méritis ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com.(in Quadrag. Feriæ et) Ss. Faustini et Jovitæ Mm.

In II Nocturno

Lectio iv

QUINÍDIUS Gallus, in Província Narbonénsi, civitáte Vasióne piis paréntibus ortus, qualis quantúsque futúrus esset, ante natívitátem divíno innótuit oráculo. Cum enim mater felíci fœtu úterum gestáret, et ad sancti Genésii mártyris festivitátem, inter numerósam turbam quæ undequáque confluébat, Arelátem pervenísset, ac præ fóribus ecclésiæ obserátis vigílias precésque protráheret, suavíssimum sensit Angelórum concéntum, januámque divíno nutu aperíri : mox visióne mirábili percúlsa, unus ex multitúdine illa angélica própius accédens prædíxit fílium paritúram, quem Vasionénsium urbs aliquándo susceptúra erat sacerdótem, et univérsus pópulus óptimum præceptórem. Quam vere Angelus prædíxerat, totus vitæ Quinídii decúrsus abúnde monstrávit : nam ab ineúnte ætáte sanctitátis inítia promicáre cœpérunt, Deo illum sua grátia exornánte, quam pius adoléscens se in vácuum non recepísse opéribus comprobávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

LÍTTERIS instrúctus, et clericátu insignítus, gravitáte morum, vitæ puritáte, assídua oratióne, et scrutatióne legis divínæ ádeo ánimum virtútibus excóluit, ut

non solum pátriam et finítimas urbes, sed longínquas étiam regiónes celebritáte nóminis impléverit. Pópuli applàusus declinatúrus, aliquámdiu in diœcési Aquénsi provínciæ Narbonénsis vitam duxit anachoréticam, ubi ejus fama miráculis illústris persevérat. Inde revérsus, diaconátu suscépto, omni virtútum génere rerúmque agendárum prudéntia ádeo insígniter effúlsit, ut eum pastorális sollicitúdinis partícipem Theodósius epíscopus, vir sanctíssimus, volúerit, quippe quem dignum judicárat in pontificáli múnere successórem.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

HÆC meditánti et procuránti Theodósio appláusit univérsus pópulus, nec dispar fuit volúntas regis Childebérti. Quanti vero fúerit mériti et virtútis Quinídius, dum commíssum sibi gregem, uti bonum decet pastórem, verbo pásceret et exémplo, Deus váriis osténdit miráculis. Virum patrícium nómine Mumulónem, fastu túrgidum, natúra ferócem, qui sanctum epíscopum contumelióse hábuit, quia in urbem veniéntem ea, qua ille vellet pompa non excéperit, repentína defectióne córporis et mortis metu gravíssime fatigávit. Sed mox ad céllulam viri Dei deportátum, et véniam humíliter deprecántem prístinæ salúti prorsus restítuit. Deínde dicti Mumulónis contubernálem dolóse repeténtem múnera quæ sancto míserat Epíscopo paupéribus distribuénda, festína morte punívit. Demum pari fructu, ac laude virtútis, et constánti sanctitátis opinióne, múnere pastoráli perfúnctus, décimo quinto Kaléndas Mártii obdormívit in Dómino. Quem multis étiam post mortem miráculis coruscántem Ecclésia Vasionénsis

sibi delégit Patrónum et summa colit veneratióne.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

Lectio ix de Ss. Faustino et Jovita, in Quadrag. vero de Homil. Fer.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

FÁMULIS tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre, ut qui beáti Quinídii Confessóris tui atque Pontíficis festa percólimus, ejus méritis ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. (in Quadrag. Feriæ et) Ss. Faustini et Jovitæ Mm.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio Fámulis, ut supra.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

FESTUM MARTII

DIE 12 MARTII

SANCTI GREGORII I

PAPÆ, CONF.
ET ECCL. DOCT.

In Ecclesia Metropol.

Duplex majus

Omnia ut in Breviario.

INDEX

PARS HIEMALIS

27 Novembris. — S. Siffredi Ep. et Conf., *dupl. simplif.* Carpentoracte : *dupl. I cl. cum Oct. comm.* 3

19 Decembris. — B. Urbani V Papæ et Conf., *dupl.*. . . . 4

3 Januarii. — S. Genovefæ Virg., *dupl.*. 7

15 Februarii. — S. Quinidii Ep. et Conf., *dupl.* Vasione : *dupl. I cl. cum Oct. comm.* 7

12 Martii. — S. Gregorii Papæ, Conf. et Eccl. Doct., *dupl.* In Eccl. Metropol. : *dupl. maj.*. 10

Imprimatur.

Turonibus, die XII Aprilis MCMXLIX.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS
ARCHIEPISC. TURON.

Imprimé en France.

852-1949. — Turonibus, typis Mame.

DÉPÔT LÉGAL : 2e trimestre 1949.

OFFICIA PROPRIA PRO GALLIA

PARS HIEMALIS

DIE 3 JANUARII

SANCTÆ GENOVEFÆ VIRGINIS

Duplex

In I Noct. Lect. Quid ergo dicémus, cum suis ℟℟. ut hac die in Brev. habetur, et omisso Glória Patri in ℟. ii, dicitur Lectio iii Non ergo, ut ibidem.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

GENOVÉFA, Nemptodúri in agro Parisiénsi, Sevéro et Gerúntia paréntibus nata, inaudítæ virtútis splendóre a téneris annis cláruit. Germánus Antissiodoréns is in Británniam transmissúrus cum Lupo Trecénsi, ut Pelagiánæ hæresis relíquias profligáret, conjéctis in eam óculis, Deo caram et vitæ sanctitáte illústrem fore prædíxit. Ab ea cum postulásset num viginitátem Deo vellet consecráre, Genovéfa, vultu ad modéstiam compósito, statim respóndit id unum se vehemén ter optáre. Germánus ítaque ecclésiam frequénti pópulo ingréssus, puéllæ manus impósuit, et inter crebros psalmórum concéntus, prolixásque oratiónes, vírginem consecrávit. Postrídie, sciscitánti an voti jam emíssi memor esset, mémorem vero se, et in eo propósito permansúram, Deo operánte, asseverávit. Ille nummum æreum signo crucis insignítum, nec sine Dei nutu, humi conspicátus, collégit, vírgini dedit, præcepítque ut collo appénsum gestáret, nec ullis deínceps monílibus,

quæ sponsæ Christi non convéniunt, ornári se paterétur.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

MIRACULÓRUM dono et multitúdine excélluit, máxime circa energúmenos, quos óleo consecráto inúngens, a dæmonum tyránnide liberábat. Plúrima prophético spíritu edíxit, atque imprímis, accedénte Attila Hunnórum rege, cives Parisiénses adhortáta est ne, relíctis sédibus, fortúnas suas álio transférrent, urbem pollícita, subvérsis áliis munitióribus, perstitúram. Rei veritátem probávit evéntus ; idque Genovéfæ patrocínio datum. Grassánte deínde fame, et in máxima annónæ caritáte, urbem magna fruménti cópia, et páuperes innúmeros, erogátis pánibus, sustentávit. Neque tamen tot éditis miráculis effúgere pótuit quin malevolórum ódio et contuméliis premerétur. Germánus in Británniam íterum profectúrus, eam ádiit et váriis impetítam calúmniis divíno elóquio consolátus est ; habitáque gravi ad pópulum oratióne, quanti esset apud Deum mériti expósuit, et locum in quo preces illa fundébat, lácrimis ejus madefáctum osténdit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

AB ANNO ætátis décimo quinto ad usque quinquagésimum, Domínica tantum die et quinta Féria jejúnium solvit, sumpto pane hordeáceo, ac módico pulménto, quod ante quíndecim dies coctum, ut minus sápidum esset, frígida temperábat aqua. Post id tempus, suadéntibus epíscopis, quibus non obtemperáre nefas putábat, piscículis et lacte usa est. Neque vero

intra Gálliæ límites tanta virtus continéri pótuit. Símeon ille Stylítes, audíta tot miraculórum fama, ejus se précibus vóluit commendátum. Admirándis dénique virtútibus, ut scribit Beda, late cláruit, et in Christi servitúte ad octogínta et novem annos consénuit. Lutétiæ sepúlta est, in basílica sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, quæ subínde ipsíus Genovéfæ nomen accépit. Ad ejus túmulum supplicántium preces sæpius exaudítæ mirábilem Deum in Sanctis suis testántur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile erit, de Comm. Virg. 1º loco.

Ad Laudes ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæränti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

EFFÚNDE super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti ; ut sédula ejus imitatióne tibi sincére obsequéntes, fide tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

In II Vesp. ℣. Diffúsa est, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio Effúnde, ut supra.

DIE 4 FEBRUARII

S. JOANNÆ VALESIÆ REGINÆ GALLIÆ

Duplex

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Mulíerem fortem, 1º loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

JOÁNNA, e stirpe Valesiórum, Ludovíci undécimi Galliárum regis fília, a prima ætáte,

córporis quamvis infirmitátibus afflícta, gáudiis tamen non cessávit abundáre. Quintum vix agens annum, cum a Deípara Vírgine, quam singulári cultu et amóre prosequebátur, postuláret ut quo ei placére magis posset obséquio significarétur, prænuntiári sibi visa est fore aliquándo ut novum sacrárum Vírginum órdinem in ejúsdem Deíparæ honórem institúeret. Ludovíco, duci Aurelianénsium, cui a patre suo núptui trádita est, cápite damnáto, quod regnum tumúltu bellóque civíli turbásset, suis ipsa lácrimis vitam a rege impetrávit. Qui cum in locum Cároli octávi successísset, adhíbito aulicórum prócerum consílio, matrimónium metu contráctum nullum irritúmque per apostólicam Sedem declarándum curávit. Joánna vero, raro mundi contémptu admirábilis, sceptra fastídiens, lilíaque spinis commútans, mente læta, Christi suáve jugum super se tulit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet te.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

AVÁRICI porro vitam agens, ducátus Bituricénsis, a Ludovíco rege accépti, réditus ingéntes in pios usus profúse erogábat, ibidémque tota incumbébat pietáti, quam ab ineúnte ætáte felíciter fúerat auspicáta. Tanta étiam fuit austeritáte, ut téneram carnem duro cilício ferreáque caténa afflígeret, noctúrno témpore corpus suum flagéllis domáret, sempérque victu módica, jejunáret sæpíssime. Quibus dum opéribus se tradébat, moniálium órdinis ab Annuntiatióne beátæ Maríæ Vírginis dicti fundaménta jecit ; virginésque ex urbe Turónica addúctas ómnia ad monásticam disciplínam pertinéntia edócuit, atque ad omne religiónis offícium tum régulis ab Alexándro sexto approbátis, tum verbo et exémplo studióse instrúxit ; quas étiam tales esse volébat,

ut ne mínimos quidem defóctus in se manére paterétur. Egénos ínsuper ac míseros omnes ad se confugiéntes matérnæ caritátis complectebátur viscéribus, ægrótos imprímis, quorum própriis mánibus úlcera contrectáre saniémque térgere non refugiébat, iísdem non semel restitúta illo contáctu sanitáte.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

In ascetério, quod ædibus suis condíderat, reclúsa, exímios ómnium virtútum flores emísit. Jugi dédita oratióni et in cælum mente frequénter subláta, terrenarúmque rerum oblíta, suavíssimo Dei collóquio fruebátur. Singulári cultu et amóre augustíssimum Eucharístiæ sacraméntum prosequebátur ; tantáque pietáte et lacrimárum cópia sacra synáxi se reficiébat, ut in áliis quoque hanc devotiónem excitáret. Pari étiam Domínicæ Passiónis mystéria recolébat afféctu ; quem ut fovéret, in ædículo, intra doméstícum hortum, in formam Christi sepúlchri constrúcto, solo teste Deo, secedébat, ibíque, in abscóndito gemens, in preces et lácrimas effundebátur. Cor Christi sacratíssimum íntimo amóre cóluit, unáque ex princípibus fuit a quibus illíus Cordis cultus in Ecclésia diffúsus est. Vitæ demum innocentíssime actæ finem quadragenária præséntiens, sacraméntis Ecclésiæ munita, prídie Nonas Februárii óbiit, anno salútis millésimo quingentésimo quinto, méritis plena, ante et post mortem multis præclára miráculis. Ejus corpus, quinquagésimo séptimo post óbitum anno, incorrúptum repértum, dum ab hæréticis milítibus cremándum rapiebátur, gémitus edidísse et mucróne transfíxum copióso sánguine manásse perhibétur. Beátæ Joánnæ cultum Benedíctus décimus quartus, Póntifex máximus, decréto solémni concéssit. Novis autem

fulgéntem signis, Pius duodécimus, anno Jubilæi, Sanctórum número accénsuit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile erit... thesáuro, de Communi.

Ad Laudes ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

DEUS, qui ad imitándas beátæ Vírginis Fílii tui Genitrícis virtútes, novum per beátam Joánnam sacrárum vírginum cœtum instítui voluísti : ejus méritis precibúsque concéde ; ut per éadem gradiámur virtútum exémpla. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. S. Andreæ Corsini :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEUS, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum : da pópulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia ; ut assequátur et præmia. Per Dóminum.

In II Vesperis ℣. Diffúsa est, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Et fit Com. S. Andreæ Corsini :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Deus, qui in Ecclésia, ut supra.

DIE 18 FEBRUARII

S. MARIÆ BERNARDÆ SOUBIROUS

VIRGINIS

Duplex

In I Vesperis, si dicendæ sint :

Ad Magnif. Ant. Candor * lucis ætérnæ, o María, et spéculum sine mácula, ostendísti mihi fáciem tuam : sónuit vox tua in áuribus meis.

In Quadrag. Lectiones I Noct. De virgínibus, de Comm. 1° loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

BERNÁRDA Soubirous, vulgo Bernadétte, in óppido Lourdes, Tarbiénsis diœcésis, honéstis christianísque paréntibus ortum duxit. A téneris annis pio stúdio catechésim et preces discébat eximiásque simplicitátis et innocéntiæ dotes exterióri spécie pandébat. Ineúnte anno millésimo octingentésimo quinquagésimo octávo, super specum Massabiélle puéllulæ beáta Virgo María plúries se conspiciéndam óbtulit. Rosárium illam recitáre, pro peccatóribus oráre et pæniténtiam ágere hortáta est ; in ipso loco sacéllum éxstrui, solémnes fíeri supplicatiónes imperávit, fontémque sub rupe laténtem per Bernárdæ manum in plurimórum sanatiónem prodúxit ; illi secréta tria commísit, quæ usque ad mortem fidéliter servávit. Demum ejus nomen percontánti, cujus tam frequénti visitatióne fruebátur, Virgo respóndit : Immaculáta Concéptio ego sum. Hinc ortus in specu Massabiélle ille Deíparæ cultus Immaculátæ, eóque orbis fidéles et Ecclesiárum antístites certátim convéniunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

NIHIL tot tantísque prodígiis ingénua Bernárdæ mutáta est simplícitas : famam, laudes et plausus hóminum sédulo devitávit, paupertáti patérnæ obláta solátia recusávit, ac demum humános mélius declinatúra conspéctus, Soróribus de Caritáte et Instructióne christiána ut discípulam

primum apud Lourdes, Nivérni mox ut sodálem se óbtulit ; ubi religiónis vota sub nómine Soróris Maríæ Bernárdæ nuncupávit. Sanctimoniális exémplar fidélis ab incœpto usque ad extrémum diem præ se tulit. Régulam, étiam ægrótans, numquam sibi relaxári postulásse tráditur. Siléntii custos, latére nesciríque sollícita, ægre cum éxteris et ádvenis ex obediéntia colloquebátur, quam primum ab eis recessúra. Oratióni frequénter incúmbens, sanctíssimam Eucharístiam et domínicæ Passiónis mystéria assídue meditabátur ; Immaculátam Vírginem affectu filiáli prosecúra, ejus mandáti memor, in delíciis habébat oráre pro peccatóribus, nonnúllis mirabíliter ejus intercessióne ad finem et vitam christiánam convérsis. Pro quibus et passiónes suas libénter offerébat.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : ✱ Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

BEÁTA enim Virgo cum illi dixísset : Felicitátem tibi non in terris promítto, sed in cælis ; diutúrnas, quámdiu vixit, infirmitátes est perpéssa. Quibus patientíssime, lætánter immo tolerátis, ad diem dedúcta suprémum, Nivérni inter Soróres, salutatiónis angélicæ última verba ingéminans, piam ánimam efflávit die décima sexta Aprílis, anno millésimo octingentésimo septuagésimo nono, ætátis trigésimo quinto. Ejus corpus in Sorórum minóre sacéllo sepúltum, semel et íterum absque corruptióne repértum, magna fidélium veneratióne cólitur ; miraculísque a Deo ejus intervéntu impetrátis, ipsíus sepúlchrum factum est gloriósum. Quibus rite probátis, Pius undécimus Póntifex máximus Maríam Bernárdam in Beatárum número rétulit anno universális Jubilæi millésimo nongentésimo vigésimo quinto. Eámque novis fulgéntem signis, idem summus Póntifex, ipso die festo Immaculátæ Concep-

tiónis anni præ céteris sacri, labénte undevigésimo peráctæ redemptiónis sæculo, et septuagésimo quinto anniversário Apparitiónum in Lourdes óppido, Sanctárum fastis adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 13, 44-52

IN ILLO témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

De Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 11 in Evangelia

RURSUS cæléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam invénit, quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit : quia, qui cæléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit, perfécte cognóverit ea, quæ in terrénis amáverat, libénter cuncta derelínquit ; in comparatióne ejus viléscunt ómnia, déserit hábita, congregáta dispérgit : inardéscit in cæléstibus ánimus, nihil in terrénis libet : defórme conspícitur, quidquid de terrénæ rei placébat spécie, quia sola pretiósæ margarítæ cláritas fulget in mente.

℟. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit, quæ accéptis lampádibus sumpsit secum óleum : * Et veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Média nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

RURSUS símile esse regnum cælórum sagénæ in mare missæ dícitur, ex omni génere píscium congregánti, quæ impléta ad littus edúcitur, et in

vasis boni pisces eligúntur, mali autem projiciúntur foras. Sancta Ecclésia sagénæ comparátur, quia et piscatóribus est commíssa, et per eam quisque ad ætérnum regnum a præséntis sæculi flúctibus tráhitur, ne in ætérnæ mortis profúndo mergátur. Quæ ex omni génere píscium cóngregat : quia ad peccatórum véniam sapiéntes et fátuos, líberos et servos, dívites et páuperes, fortes et infírmos vocat.

℟. Média nocte clamor factus est : * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

QUÆ sagéna, scílicet Ecclésia, tunc universáliter replétur, cum in fine suo humáni géneris summa conclúditur. Quam edúcunt, et secus littus sedent : quia sicut mare sæculum, ita sæculi finem significat littus maris. In quo scílicet fine boni pisces in vasis eligúntur, mali autem projiciúntur foras : quia et elécti quique in tabernácula ætérna recipiúntur, et intérni regni luce pérdita, ad exterióres ténebras réprobi pertrahúntur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Osténdit mihi María * thesáuros incomparábiles, quos mihi se datúram in cælis repromísit.

Oratio

HUMÍLIUM, Deus, protéctor et amátor, qui fámulam tuam Maríam Bernárdam Immaculátæ Vírginis Maríæ apparitióne et allóquio recreásti : præsta, quæsumus ; ut, per símplices fídei sémitas, ad tuam in cælis visiónem perveníre mereámur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Com. Feriæ.

Deinde Com. S. Simeonis Ep. et Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

INFIRMITÁTEM nostram réspice, omnípotens Deus : et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Simeónis Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

In II Vesperis ℣. Diffúsa est, ut supra ad Laudes.

Ad Magnif. Ant. Grátias tibi ago, * Virgo Immaculáta Dei Mater, quia per ancíllam tuam, pópulo tuo verba salútis et pacis pígnora attulísti.

Oratio Humílium, Deus, ut supra.

Et, in Quadrag., fit Com. Feriæ.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS AVENIONENSIS

A S. R. C. APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. GABRIELIS DE LLOBET

ARCHIEPISCOPI AVENIONENSIS

EDITA

PARS VERNA



TURONIBUS

SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS AVENIONENSIS

PARS VERNA

FESTA FEBRUARII

DIE 15 FEBRUARII

SANCTI QUINIDII

VASIONENSIS EP.
ET CONF.

Duplex

(Vasione : Dupl. I cl. cum Oct. comm.)

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

FÁMULIS tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre, ut qui beáti Quinídii Confessóris tui atque Pontíficis festa percólimus, ejus méritis ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. Fer. et Ss. Faustini et Jovitæ Mm.

In II Nocturno

Lectio iv

QUINÍDIUS Gallus, in Província Narbonénsi, civitáte Vasióne piis paréntibus ortus, qualis quantúsque futúrus esset, ante natívitátem divíno innótuit orácuło. Cum enim mater felíci fœtu úterum gestáret, et ad sancti Genésii mártyris festivitátem, inter numerósam turbam quæ undequáque confluébat, Arelátem pervenísset, ac præ fóribus ecclésiæ obserátis vigílias precésque protráheret, suavíssimum

sensit Angelórum concéntum, januámque divíno nutu aperíri : mox visióne mirábili percúlsa, unus ex multitúdine illa angélica própius accédens prædíxit fílium paritúram, quem Vasionénsium urbs aliquándo susceptúra erat sacerdótem, et univérsus pópulus óptimum præceptórem. Quam vere Angelus prædíxerat, totus vitæ Quinídii decúrsus abúnde monstrávit : nam ab ineúnte ætáte sanctitátis inítia promicáre cœpérunt, Deo illum sua grátia exornánte, quam pius adoléscens se in vácuum non recepísse opéribus comprobávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil profíciet inímicus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Lítteris instrúctus, et clericátu insignítus, gravitáte morum, vitæ puritáte, assídua oratióne, et scrutatióne legis divínæ ádeo ánimum virtútibus excóluit, ut non solum pátriam et finítimas urbes, sed longínquas étiam regiónes celebritáte nóminis impléverit. Pópuli appláusus declinatúrus, aliquámdiu in diœcési Aquénsi provínciæ Narbonénsis vitam duxit anachoréticam, ubi ejus fama miráculis illústris persevérat. Inde revérsus, diaconátu suscépto, omni virtútum génere rerúmque agendárum prudéntia ádeo insígniter effúlsit, ut eum pastorális sollicitúdinis partícipem Theodósius epíscopus, vir sanctíssimus, volúerit, quippe quem dignum judicárat in pontificáli múnere successórem.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Hæc meditánti et procuránti Theodósio appláusit univérsus pópulus, nec dispar fuit volúntas regis Childe-

bérti. Quanti vero fúerit méríti et virtútis Quinídius, dum commíssum sibi gregem, uti bonum decet pastórem, verbo pásceret et exémplo, Deus váriis osténdit miráculis. Virum patrícium nómine Mumulónem, fastu túrgidum, natúra ferócem, qui sanctum epíscopum contumelióse hábuit, quia in urbem veniéntem ea, qua ille vellet pompa non excéperit, repentína defectióne córporis et mortis metu gravíssime fatigávit. Sed mox ad céllulam viri Dei deportátum, et véniam humíliter deprecántem prístinæ salúti prorsus restítuit. Deínde dicti Mumulónis contubernálem dolóse repeténtem múnera quæ sancto míserat Epíscopo paupéribus distribuénda, festína morte punívit. Demum pari fructu, ac laude virtútis, et constánti sanctitátis opinióne, múnere pastorali perfúnctus, décimo quinto Kaléndas Mártii obdormívit in Dómino. Quem multis étiam post mortem miráculis coruscántem Ecclésia Vasionénsis sibi delégit Patrónum et summa colit veneratióne.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. I° loco.

Lect. ix de Homil. Fer.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

FÁMULIS tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre, ut qui beáti Quinídii Confessóris tui atque Pontíficis festa percólimus, ejus méritis ab ómnibus protegámur advérsis. Per.

Et fit Com. Feriæ et Ss. Mm.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Oratio

FÁMULIS tuis, quæsumus, Dómine, cæléstis grátiæ munus impertíre, ut qui beáti Quinídii Confessóris tui atque Pontíficis festa percólimus, ejus méritis ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ.

FESTUM MARTII

DIE 12 MARTII

SANCTI GREGORII I

PAPÆ, CONF. ET ECCL. DOCT.

In Ecclesia Metropol.

Duplex majus

Omnia ut in Breviario.

FESTA APRILIS

DIE 14 APRILIS

S. BENEDICTI DE PONTE

CONFESSORIS

Duplex

(Avenione, Dupl. maj.)

IN I VESPERIS

Capit. Eccli. 31, 8-9

BEÁTUS vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum ? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus

ISTE Conféssor Dómini, coléntes
Quem pie laudant pópuli per orbem,
Hac die lætus méruit beátas
Scándere sedes.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbriam duxit sine labe vitam,
Donec humános animávit auræ
Spíritus artus.

Cujus ob præstans méritum, frequénter,

Ægra quæ passim jacuére membra,
Víribus morbi dómitis, salúti
Restituúntur.
Noster hinc illi chorus obsequéntem
Cóncinit laudem celebrésque palmas,
Ut piis ejus précibus juvémur
Omne per ævum.
Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui, super cæli sólio corúscans,
Tótius mundi sériem gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Benedícte (T. P. allelúja). ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi (T. P. allelúja).

Ad Magnif. Ant. O quam, Benedícte, * mira tibi refúlsit grátia, qui, dum patris serváres pécora, divíno vaticínio miro stémmate Pontem cónstruis. Gaudet felix Avénio, tanto ditáta pígnore. Cæcis restítuis lúmina, surdis audítum, claudis gressus, et lánguidis sospitátem, qui ad te confúgiunt. Adsunt plebi prodígia, tua poscénti suffrágia (T. P. allelúja).

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, cunctórum ópifex admirábilis, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum miraculórum glória illustráre dignátus es; concéde propítius, ut omnes qui ejus poscunt juvámina, salúte corpórea fruántur et ad regna ætérna pervenire mereántur. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. ac S. Justini Mart. (in Quadrag. Feriæ) necnon Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.

In Quadrag. in I Noct. Lect. Justus de Comm. Conf. non Pont. 2º loco.

In II Nocturno

Lectio iv

BENEDÍCTUS, qui et Benezétus ob statúræ brevitátem appellátur, natus dícitur in pago cui nomen Alvilard diœcésis Vivariénsis. A primis annis præstantissimárum virtútum exercítio ita excélluit,

ut, ad illustrándas regiónes ubi ortum hábuit, tamquam novum sidus effúlserit. Custodiéndo gregi addíctus, húmili hujus vitæ génere usus est ad proficiéndum in sanctimónia ; quippe, inter arvórum solitúdinem nemorúmque siléntia, ácrius mentem suam in Deum defigébat. Sed Deus, qui infírma elégit ut confúndat fórtia, humilésque ponit in sublíme, pastóre óvium uti vóluit ad perficiéndum opus quod poténtes sæculi tentáre non ausi essent. Tam mirábilis evéntus in váriis monuméntis Avenióne asservátis sic relátus invenítur. Divína voce admónitus ut Rhódanum ponte júngeret, oves dimísit Benedíctus ; et cum, ad iter aggrediéndum se accíngeret, óbvius illi fuit, sicut olim Tobíæ, Angelus Dómini sub spécie humána, qui se viæ ducem ac cómitem offérret. Brevi sed témporis spátio, ad ripam Rhódani pervenérunt. Cujus magnitúdinem consíderans, Benedíctus expávit, dixítque se nullo modo ibi pontem fácere posse. Cui Angelus : Noli timére, quia Spíritus Sanctus est in te : ecce navem qua transitúrus es ; proficíscere, osténde te epíscopo et pópulo ejus. Quibus dictis evánuit Angelus.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam (T. P. allelúja). ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

His confirmátus Benedíctus, Avenionem ingréssus est, epíscopúmque pópulo suo prædicántem invénit. Cui magna voce ait : Audíte omnes et intellígite : Dóminus misit me Jesus Christus ad hanc civitátem, ut pontem super Rhódanum fáciam. Quem considerans epíscopus remísit ad præpósitum urbis, ut temeritátis suæ pœnas daret. Præpósitus vero Benedíctum dúrius

accípiens, nullam fidem verbis illíus adhibére posse dixit, nisi lápidem quem monstrávit, solus auférret. Tunc Benedíctus, invocáto Dei auxílio, coram epíscopo et pópuli multitúdine, saxum quod trigínta hómines movére non potuíssent, tamquam lapíllum manuálem, sústulit, portavítque ad locum ubi pons ædificátus fuit. Præ admiratióne conclamávit univérsa turba, et ipse præpósitus pronus córruens osculávit manus et pedes sancti Benedícti, trecentósque sólidos ei óbtulit. Fecit Benedíctus eádem die mirabília magna, vixítque adhuc áliquot annos ; sed, imperfécto ponte, obdormívit in Dómino. Sanctum ejus corpus in sacéllo pontis honorífice sepúltum fuit, et ad ejus túmulum multa deínde patráta sunt mirácula.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum (T. P. allelúja). ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio vi

Anno millésimo sexcentésimo sexagésimo nono, sæviénte híeme, ingéntes glaciéi moles tam immáni ímpetu in pilas pontis Avenionénsis impegérunt, ut duæ fórnices una in undas præcípites rúerint. Rectóres hospitális a Ponte cognomináti consúltum duxérunt rogáre vicárium archiepiscopálem, sede vacánte, ut paterétur pretiósum corpus sancti Benedícti éxtrahi e túmulo, ne ruínis pilárum involverétur. Visum est tum corpus omnis expers corruptiónis et suáve rédolens, vestítum indúsio líneo circa collum corrugáto, neque ullátenus adhærescénti ad carnem. Caput jacébat módice infléxum ; fácies ádeo cernebátur íntegra ut ipsa pene lineaménta vivéntis síngula conspiciénda daret ; os módice apértum, redúctaque lábia, subridéntis instar, extrémam déntium supernórum infernorúmque áciem denudábant,

atque inter eos cernebátur lingua ejúsdem fere, quæ vivéntis esset, spissitúdinis, et colóris qualis est rosæ siccátæ. Venter, æque ac vivi hóminis plenus, cedébat ad tactum seque rursum ad primum reducébat statum ; manus apértæ integérrimæ erant. Color totíus córporis haud multum a naturáli differébat. Indúsium et sudárium istic, ubi própius contígerant membra, mélius erant conserváta. Anno millésimo sexcentésimo septuagésimo secúndo, corpus sancti Benedícti in ecclésia Patrum Cælestinórum civitátis Avenionénsis depósitum fuit ; et circa finem sæculi décimi octávi in ecclésiam parochiálem sancti Desidérii ejúsdem civitátis translátum. Luctuósis vero perturbatiónis Gállicæ tempóribus, cum loco cárceris esset éadem ecclésia, nefárii hómines pretiósas relíquias e túmulo extráctas violáre non dubitavérunt. Quædam vero sancti córporis partes a viris piis, qui in eódem cárcere detinebántur, occultátæ, et póstea canónice recógnitæ, in eádem ecclésia sancti Desidérii et in sacéllo majóris Seminárii nunc magna religióne asservántur.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus (T. P. allelúja). ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, de Comm. Conf. non Pont. 1º loco.

In Quadrag. ix Lectio de Homil. Feriæ ; extra Quadrag. Lectio ix S. Justini.

AD LAUDES

Capit. Eccli. 31, 8-9

BEÁTUS vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum ? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus

JESU, coróna célsior
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne præmium :
Da supplicánti cœtui,
Hujus rogátu, nóxii
Remissiónem críminis,
Rumpéndo nexum víncu-
li.
Anni revérso témpore,
Dies refúlsit lúmine,
Quo Sanctus hic de córpore
Migrávit inter sídera.
Hic vana terræ gáudia,
Et luculénta prædia
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet cæléstia.
Te, Christe, Rex piíssime,
Hic confiténdo júgiter,
Calcávit artes dæmonum
Sævúmque avérni príncipem.
Virtúte clarus et fide,
Confessióne sédulus,
Jejúna membra déferens,
Dapes supérnas óbtinet.
Proínde te, piíssime,
Precámur omnes súpplices,
Nobis ut hujus grátia
Pœnas remíttas débitas.
¶ Patri perénnis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper sæculum. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Benedícte (T. P. allelúja). ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi (T. P. allelúja).

Ad Magnif. Ant. O quam, Benedícte, * mira tibi refúlsit grátia, qui, dum patris serváres pécora, divíno vaticínio miro stémmate Pontem cónstruis. Gaudet felix Avénio, tanto ditáta pígnore. Cæcis restítuis lúmina, surdis audítum, claudis gressus, et lánguidis sospitátem, qui ad te confúgiunt. Adsunt plebi prodígia, tua poscénti suffrágia (T. P. allelúja).

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, cunctórum ópifex admirábilis, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum miraculórum glória illustráre dignátus es; concéde propítius, ut omnes qui ejus poscunt juvámina, salúte corpórea fruántur et ad regna ætérna pervenire mereántur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Justini, (in Quadrag. Feriæ) et Ss. Martyrum.

In II Vesp. omnia ut in I Vesp.

Et fit Com. S. Justini (et in Quadrag. Feriæ).

FESTA MAJI

DIE 1 MAJI

IN FESTO

Ss. PHILIPPI et JACOBI

APOSTOLORUM

Com. S. Andeoli Martyris :

AD MATUTINUM

Lectio ix

ANDÉOLUS subdiáconus, beáti Polycárpi Smyrnénsis discípulus, ex Oriénte in Gálliam, Evangélium disseminatúrus, venit una cum Benígno et Andóchio presbyteris, ac Thyrso diácono ; dumque isti Burgúndiam de ténebris ad admirábile Christi lumen vocárent, ipse Vivariénses aliósque finítimos pópulos verbi divíni pábulo refécit, et ad fidem addúxit. Cumque per ingéntes labóres et vária vitæ discrímina annis círciter quadragínta munus apostólicum obiísset, in óppido ad orientálem Rhódani ripam tunc Géntibus dicto, jussi Sevéri imperatóris illac transeúntis comprehénsus, eo quod Christum prædicáret, primum spinósis fúnibus crudelíssime cæsus est. Deínde in citerióri ripa, ubi nunc exstat óppidum vulgo Burgum sancti Andéoli nuncupátum, in subterráneum cárcerem, qui illic étiam nunc vidétur detrúsus, postrémo, trajécto rursus flúmine, ense lígneo in modum crucis conscísso in quátuor partes cápite, Kaléndis Maji martyrium consummávit anno salútis ducentésimo octávo, et in præfáto burgo sepúltus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Ant. Fíliæ Jerúsalem, * veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus

in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

DEUS, qui ineffábili misericórdia tua Evangélii lucem ministério beáti Andéoli Mártyris intulísti, fac eódem intercedénte, ut in veritáte Evangélii ambulántes, ad lumen claritátis tuæ pervenire mereámur. Per Dóminum.

DIE 16 MAJI

SANCTI GENTII

EREMITÆ, CONFESSORIS

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

Oratio

DEUS, qui nos beáti Géntii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas; concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

DEUS, qui ad christiánam páuperum eruditiónem, et ad juvéntam in via veritátis firmándam, sanctum Joánnem Baptístam Confessórem excitásti, et novam per eum in Ecclésia famíliam collegísti : concéde propítius ; ut, ejus intercessióne et exémplo, stúdio glóriæ tuæ in animárum salúte fervéntes, ejus in cælis corónæ partícipes fíeri valeámus.

Deinde S. Ubaldi Ep. et Conf. :

Ant. Sacérdos et Póntifex,* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi, allelúja. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis, allelúja.

Oratio

AUXÍLIUM tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde : et intercessióne beáti Ubáldi Confessóris tui atque Pontíficis, contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

SANCTUS Géntius natus est Montíliis, quod est óppidum in archidiœcési Avenionénsi non longe distans a civitáte Carpentoracténsi, ex paréntibus fortúnæ ténuis, sed pietáte conspícuis. A primis annis dícitur in solitúdinem prope Baussétum secessísse, ut vitam ágeret solitáriam ; ibíque, oratióni assíduus et labóre mánuum víctitans, in summam venit sanctitátem. Cum quadam die nec aquam, nec vinum habéret et quibus consanguíneos se invisántes refocilláret, utrúmque fecit (ut tradítio est) efflúere ex rupe, impréssis in eam dígitis. Hódie monstrátur fons júgiter manans istíus miráculi monuméntum perénne, cujus aqua salutáris habétur contra febres. Alexánder Bíchius Senénsis, anno millésimo sexcentésimo trigésimo, Carpentoracténsis epíscopus factus, cum suam diœcésim perlustráret, Sancti jussit sacrum corpus in arcam ornatiórem transférri, quæ processionáliter gestári posset et ex eremitório sacéllo, ad horæ quadrántem prope Baussétum sito, in ecclésiam parochiálem asportári vóluit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi
Homil. 69 in Matth.

Lectio v

IN mentem véniat memória Sanctórum, qui cilício induúntur, erémum

hábitant, qui numquam oblátas púrpuras acceptárent; sed, quemádmodum rex, si quis pannósa induménta páuperis induénda offérret, repélleret, non áliter illi régiam púrpuram contémnunt. Hæc illis institúta ciliciórum usu confirmáta sunt : unde régibus ipsis excellentióres sunt atque præstantióres; nam si posses mentis eórum atque ánimi jánuas reseráre, et omnem interiórem ornátum conspícere, fulgóre percúlsus in terram concíderes.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

NIHIL ergo in tabernáculis eórum triste inveniétis; sed, tamquam in cælo tugúria fabricáti, sic longe a sæculi perturbatiónibus hábitant, advérsus diábolum militántes, et cum lætítia eum expugnántes. Idcírco enim in solitúdine domicílium constituérunt, civitátibus et célebri habitatióne hóminum omníno relícta; quóniam qui bellum gerit, non potest domi sedére, sed necésse est, quasi súbito migratúrus, præparáto in diem domicílio hábitet. Quis umquam in exércitu domus fundaménta jecit? Quis in castris agri júgera emit? Nullus certe : in pátria hæc, non in castris faciénda sunt.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. Homil. in Evang. Ecce nos reliquimus, de Comm. Abbatum 1º loco.

Lectio ix S. Ubaldi.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, alleluja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

DEUS, qui nos beáti Géntii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas ; concéde propítius ; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Ubaldi :

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

AUXÍLIUM tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde : et intercessióne beáti Ubáldi Confessóris tui atque Pontíficis, contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dm̃.

Vesp. a Capit. de seq.

Et fit Com. S. Gentii :

Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio Deus, ut supra.

Deinde S. Ubaldi :

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi, allelúja. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis, allelúja.

Oratio Auxílium, ut supra.

DIE 27 MAJI

SANCTI EUTROPII

ARAUSICANI EP. ET CONF.

Duplex (m. t. v.)

(Arausicæ, dupl. 1 cl. cum Oct. comm.)

℣. Amávit, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris, quique illis regéndis vicários caritátis tuæ præfi-

cis minístros ; da, quæsumus, intercedénte beáto Eutrópio Confessóre tuo atque Pontífice, Spíritum sapiéntiæ quibus præésse dedísti Ecclésiæ tuæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Com. S. Philippi Nerii :

Ant. Hic vir et ℣. Justum, ut supra.

Oratio

DEUS, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti : concéde propítius ; ut, cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo.

Deinde S. Bedæ :

Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, allelúja. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium, allelúja.

Oratio

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis ; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári.

Tandem S. Joannis I :

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Joánnem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

EUTRÓPIUS Massiliénsis civitátis indígena, natálium splendóre, divitiárum cópia et præstánti ingénio clarus vitam primum sæculárem in conjúgio duxit. Cum vero, mórtua piíssima uxóre, virtútum ómnium laude floréret,

a sancto Eustáchio, Massiliénsi epíscopo, invítus licet et repúgnans diáconus ordinátur. Qui sacræ milítiæ mancipátus, jejúniis, abstinéntia, eleemósynis, oratiónibus, lácrimis et vigíliis prætérita récolens, corpus suum Dómino consecrávit, cæléstibus visiónibus a Deo nonnúmquam recreátus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Defúncto urbis Arausicánæ epíscopo Justo, in ejus locum ómnium votis suffícitur Eutrópius. Hic civitátis suæ afflictíssimæ et a Bárbaris devastátæ desolatiónem totis víribus curávit, ruinásque ejus reparáre conátus est ; et ut ómnibus esset exémplar non onus, vir ille quondam ditíssimus, labóri mánuum, quod oratióni supérerat, tempus omne impendébat. Gregem pavit cælésti doctrína et a venenátis falsórum dógmatum páscuis fidéliter custodívit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Advérsus hæreticórum perfídiam strénuus, subscrípsit Epístolæ sancti Fausti Regiénsis epíscopi contra Lúcidum presbyterum qui prædestinatianórum erróres spargébat. Sancto Sidónio Apollinári Arvernórum epíscopo familiáris fuit, qui ab eo postulábat ut compunctórii salubritáte sermónis sui, ávidam ejus ignorántiæ pásceret esúriem. Ejus quoque, inter céteros, méntio habétur in epístola sancti Hilárii Papæ, ad quosdam Galliárum epíscopos. Intérfuit concílio Arelaténsi sub Leóntio epíscopo, plures a dæmone posséssos liberávit, incéndium oratióne représsit, famem

quæ superventúra erat, cum prædixísset, stúdium congregándi fruménti ipse indíxit; sed póstea deficiéntem annónam précibus suis multiplicávit. Tandem sénio confectus, cum óptimi pastóris partes implésset, migrávit ad Dóminum et in urbe sua sepúltus est. In eccléśia in ejus honórem constrúcta illíus relíquiæ olim magna cum devotióne asservabántur, quas anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo calviniána hæresis ábstulit et cum Relíquiis aliórum sanctórum igne absúmpsit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

ix Lectio S. Bedæ Venerabilis.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris, quique illis regéndis vicários caritátis tuæ præficis minístros; da, quæsumus, intercedénte beáto Eutrópio Confessóre tuo atque Pontífice, Spíritum sapiéntiæ quibus præésse dedísti Ecclésiæ tuæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Com. S. Bedæ :

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis ; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári.

Deinde S. Joannis Papæ :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Joánnem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dm̃.

Vesp. a Capit. de seq.

Et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris, quique illis regéndis vicários caritátis tuæ præficis minístros ; da, quæsumus, intercedénte beáto Eutrópio Confessóre tuo atque Pontífice, Spíritum sapiéntiæ quibus præésse dedísti Ecclésiæ tuæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum.

Deinde S. Bedæ :

Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, allelúja. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium, allelúja.

Oratio Deus, qui Ecclésiam, ut supra.

DIE 30 MAJI

SANCTÆ JOANNÆ DE ARC

VIRGINIS

Duplex II classis

Omnia ut in Proprio Galliæ.

FESTA JUNII

DIE 3 JUNII
SANCTÆ CLOTILDIS
REGINÆ, VIDUÆ

Duplex

Omnia ut in Proprio Galliæ.

DIE 17 JUNII
SANCTI VEREDEMI
AVENIONENSIS EP. ET CONF.

Duplex, sed ad modum Simplicis recolendum

In I Vesp. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Veredémi, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus, et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Ad Laudes Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

℣. Justum et Oratio Exáudi, ut supra.

In II Vesp. Ant. Amávit et ℣. Justum ut supra 20

Oratio Exáudi, ut supra.

INDEX

PARS VERNA

15 Februarii. — S. Quinidii Ep. et Conf., *dupl.* Vasione : *dupl. I cl. cum Oct. comm.*. 3

12 Martii. — S. Gregorii Papæ, Conf. et Eccl. Doct., *dupl.* In Eccl. Metropol. : *dupl. maj.* 6

14 Aprilis. — S. Benedicti de Ponte Conf., *dupl.* Avenione : *dupl. maj.*. 6

1 Maji. — S. Andeoli Mart. Com. 12

16 — — S. Gentii Erem., Conf., *dupl.* 13

27 — — S. Eutropii Ep. et Conf., *dupl.* Arausicæ, *dupl. I cl. cum Oct. comm.* 16

30 — — S. Joannæ de Arc Virg., *dupl. II cl.*. . . . 20

3 Junii. — S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *dupl.* 21

17 — — S. Veredemi Ep. et Conf., *dupl. simplif.* . . 21

Imprimatur.

Turonibus, die XII Aprilis MCMXLIX.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS

ARCHIEPISC. TURON.

Imprimé en France.

852-1949. — Turonibus, typis Mame.

DÉPÔT LÉGAL : 2e trimestre 1949.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS AVENIONENSIS

A S. R. C. APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. GABRIELIS DE LLOBET

ARCHIEPISCOPI AVENIONENSIS

EDITA

PARS ÆSTIVA



264

TURONIBUS

SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS AVENIONENSIS

PARS ÆSTIVA

FESTA MAJI

DIE 27 MAJI

SANCTI EUTROPII
ARAUSICANI EP.
ET CONF.

Duplex (m. t. v.)

(Arausicæ, dupl. 1 cl. cum Oct. comm.)

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris, quique illis regéndis vicários caritátis tuæ præficis minístros; da, quæsumus, intercedénte beáto Eutrópio Confessóre tuo atque Pontífice, Spíritum sapiéntiæ quibus præésse dedísti Ecclésiæ tuæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Com. S. Philippi Nerii :

Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEUS, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti : concéde propítius ; ut, cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo.

Deinde S. Bedæ :

Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis ; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári.

Tandem S. Joannis I :

Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Joánnem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

EUTRÓPIUS Massiliénsis civitátis indígena, natálium splendóre, divitiárum cópia et præstánti ingénio clarus, vitam primum sæculárem in conjúgio duxit. Cum vero, mórtua piíssima uxóre virtútum ómnium laude floréret, a sancto Eustáchio Massiliénsi epíscopo, invítus licet et repúgnans diáconus ordinátur. Qui sacræ milítiæ mancipátus, jejúniis, abstinéntia, eleemósynis, oratiónibus, lácrimis et vigíliis prætérita récolens, corpus suum Dómino consecrávit, cæléstibus visiónibus a Deo nonnúmquam recreátus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

DEFÚNCTO urbis Arausicánæ epíscopo Justo, in ejus locum ómnium votis suffícitur Eutrópius. Hic civitátis suæ afflictíssimæ et a Bárbaris devastátæ desolatiónem totis víribus curávit, ruinásque ejus reparáre conátus est; et ut ómnibus esset exémplar non onus, vir ille quondam ditíssimus, labóri mánuum, quod oratióni supérerat, tempus omne impendébat. Gregem pavit cælésti doctrína et a venenátis falsórum dógmatum páscuis fidéliter custodívit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

ADVÉRSUS hæreticórum perfídiam strénuus, subscrípsit Epístolæ sancti Fausti Regiénsis epíscopi contra Lúcidum presbyterum qui prædestinatianórum erróres spargébat. Sancto Sidónio Apollinári Arvernórum epíscopo familiáris fuit, qui ab eo postulábat ut compunctórii salubritáte sermónis sui, ávidam ejus ignorántiæ pásceret esúriem. Ejus quoque, inter céteros, méntio habétur in epístola sancti Hilárii Papæ, ad quosdam Galliárum epíscopos. Intérfuit concílio Arelaténsi sub Leóntio epíscopo, plures a dæmone posséssos liberávit, incéndium oratióne représsit, famem, quæ superventúra erat, cum prædixísset, stúdium congregándi fruménti ipse indíxit; sed póstea defeciéntem annónam précibus suis multiplicávit. Tandem sénio confféctus, cum óptimi pastóris partes implésset, migrávit ad Dóminum et in urbe sua sepúltus est. In eclésia in ejus honórem constrúcta illíus relíquiæ olim magna cum devotióne asservabántur, quas anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo calviniána hæresis ábstulit et cum relíquiis aliórum sanctórum igne absúmpsit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evangelium Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1º loco.

Lectio ix S. Bedæ Venerabilis.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEUS, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis et amóre domináris, quique illis regéndis vicários caritátis tuæ præficis minístros ; da, quæsumus, intercedénte beáto Eutrópio Confessóre tuo atque Pontífice, Spíritum sapiéntiæ quibus præésse dedísti Ecclésiæ tuæ, ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Com. S. Bedæ :

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEUS, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis ; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári.

Deinde S. Joannis :

Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Joánnem Mártyrem tuum atque Summum Pontífi-

cem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Vesp. a Capit. de seq., et fit Com. præcedentis:

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Deus, qui pópulis, ut supra 6

Deinde S. Bedæ:

Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio Deus, qui Ecclésiam, ut supra 6

DIE 30 MAJI

SANCTÆ JOANNÆ DE ARC

VIRGINIS

Duplex II classis

Omnia ut in Proprio Galliæ.

FESTA JUNII

DIE 3 JUNII

SANCTÆ CLOTILDIS

VIDUÆ

Duplex

Omnia ut in Proprio Galliæ.

DIE 17 JUNII

SANCTI VEREDEMI

AVENIONENSIS EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

EXÁUDI, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Veredémi, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus, et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno

Lectio iv

VEREDÉMUS, natióne Græcus, adoléscens eremíticam vitam ágere decrévit ; verum cum in solitúdine propter iram patris latére non posset, e Græcia discéssit, et ad Gálliam marítimo itínere conténdit. Appúlsus ad Rhódani óstia, spelúncam pétiit haud procul a Guardóne flúmine sitam, ubi per multos annos vixit admirábili sanctitáte et plúrimis fulgens miráculis. Sed tantæ virtútis celébritas in dies diffundebátur, ita ut sibi successórem Veredémum móriens beátus Agrícolus, Avenionénsis epíscopus, desígnáverit. In pontíficem ítaque licet invítus et relúctans assúmptus est : tunc sacris major factus ínfulis, majórem étiam exhíbuit vitæ sanctimóniam. Cumque episcopále munus summa cum laude per vigínti fere annos prudénter piéque gessísset, plenus méritis obdormívit in Dómino. Pretiósæ illíus exúviæ in ecclésia sancti Agrícoli primum depósitæ, deínde a Joánne vigésimo secúndo Pontífice máximo in ecclésiam cathedrálem beátæ Maríæ de Domnis translátæ, ab ímpiis homínibus témpore perturbatiónis Gállicæ dispérsæ sunt.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Sermo sancti Máximi Epíscopi

Homil. 59, de S. Eusebio 2

Lectio v

BEÁTI Patris Veredémi mérita, jam in tuto pósita, secúri magnificémus ; qui, gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchoram spei tranquílla jam in statióne compósuit, et plenam cæléstibus divítiis et ætérnis mércibus navem, optáto in líttore, collocávit ; qui contra omnes adversários scutum timóris Dei támdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret. Quid enim fuit totus vitæ illíus cursus,

nisi uníus cum vígili hoste conflíctus ?

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

QUANTIS hic cæcis, a via veritátis erránti-bus et de summa jam in profúndum rupe pendéntibus, amíssum réddidit visum ; et illum, quo Christus viderétur, reparávit intúitum ? Quantórum áuribus surdis et infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cæléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum ; ut, vocánti Deo ad misericórdiam, respondérent per obediéntiam ? Quantos intrínsecus vulnerátos, angélici oris arte et oratiónum, ab infirmitáte curávit ?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Vigiláte, de Comm. Conf. Pont. 2° loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

EXÁUDI, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Veredémi, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus, et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Vesp. a Capit. de seq., et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Exáudi, ut supra.

Deinde Ss. Marci et Marcelliani Mm. :

Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Marci et Marcelliáni natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per Dóminum.

DIE 22 JUNII

IN FESTO

SANCTI PAULINI

EP. ET CONF.

Com. S. Consortiæ Virg. :

In I Vesp. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Intende, próspere procéde, et regna.

Oratio

EXÁUDI nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Consórtiæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Ad Laudes Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæ-rénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio Exáudi, ut supra.

DIE 28 JUNII

SANCTI IRENÆI

LUGDUNENSIS EP.

ET MART.

Duplex

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mor-

tem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

Oratio

DEUS, qui beáto Irenæo Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrínæ expugnáret hæreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret ; da, quæsumus, plebi tuæ in sancta religióne constántiam, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. S. Joannis Baptistæ.

In I Nocturno

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lectio i Cap. 2, 15-26

SOLLÍCITE cura teípsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, recte tractántem verbum veritátis ; profána autem et vanilóquia dévita ; multum enim proficiunt ad impietátem ; et sermo eórum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus, et Philétus, qui a veritáte excidérunt : dicéntes, resurrectiónem esse jam factam, et subvertérunt quorúmdam fidem. Sed firmum fundaméntum Dei stat, habens signáculum hoc : Cognóvit Dóminus, qui sunt ejus : et discédat ab iniquitáte omnis, qui nóminat nomen Dómini. In magna autem domo, non solum sunt vasa áurea et argéntea, sed et lígnea et fictília : et quædam quidem in honórem, quædam autem in contuméliam. Si quis ergo emundáverit se ab istis, erit vas in honórem sanctificátum, et útile Dómino, ad omne opus bonum parátum. Juvenília autem desidéria fuge, sectáre vero justítiam, fidem, caritátem, et pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas autem et sine disciplína quæstiónes dévita, sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non opórtet litigáre, sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéstia corripiéntem eos qui resístunt veritáti, nequándo Deus det illis

pœniténtiam ad cognoscéndam veritátem ; et resipíscant a diáboli láqueis, a quo captívi teténtur ad ipsíus voluntátem.

℟. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit : * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Fundátus.

Lectio ii Cap. 3, 1-13

Hoc autem scito, quod in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa : erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, scelésti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, sine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, et voluptátum amatóres magis quam Dei : habéntes quidem spéciem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos dévita. Ex his enim sunt, qui pénetrant domos, et captívas ducunt muliérculas, onerátas peccátis, quæ ducúntur váriis desidériis : semper discéntes, et numquam ad sciéntiam veritátis perveniéntes. Quemádmodum autem Jannes et Mambres restitérunt Móysi, ita et hi resístunt veritáti, hómines corrúpti mente, réprobi circa fidem, sed ultra non proficient ; insipiéntia enim eórum manifésta erit ómnibus, sicut et illórum fuit. Tu vero assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris, quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines, et seductóres proficient in pejus, errántes, et in errórem mitténtes.

℟. Justus germinábit sicut lílium : * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Et.

Lectio iii Cap. 3, 14-4, 5

Tu vero pérmane in iis, quæ didicísti, et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris, et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divínitus inspiráta útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítia ; ut perféctus sit homo Dei ad omne opus bonum instrúctus. Testíficor coram Deo et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum ejus. Prædica verbum, insta opportúne, importúne : árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros pruriéntes áuribus ; et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple.

℟. Iste cognóvit justítiam, et vidit mirabília magna, et exorávit Altíssimum : * Et invéntus est in número sanctórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Lectio iv

Irenæus, non longe ab urbe Smyrna in Asia proconsulári natus, jam inde a púero sese Polycárpo, Joánnis Evangelístæ discípulo, eidémque episcopo Smyrnæórum, tradíderat in disciplínam. Hoc tam excellénti magístro, progréssus in doctrína præceptísque christiánæ religiónis insígnes fecit. Polycárpo in cælum martyrii glória subláto, etsi erat Irenæus in sacris lítteris egrégie versátus, quod tamen incredíbili stúdio flagráret discéndi, quæ dógmata depósiti loco custodiénda céteri accepíssent, quos Apóstoli institúerant, horum quam pótuit plures convénit ; quæque ab iísdem audívit, mémori mente ténuit, ea deínceps opportúne advérsus hæreses

allatúrus, quas cum vidéret ingénti pópuli christiáni damno látius in dies manáre, diligénter copioséque reféllere cogitárat. In Gállias inde proféctus, a Photíno epíscopo présbyter est constitútus Ecclésiæ Lugdunénsis. Quod munus sic laborándo in verbo et doctrína gessit, ut (téstibus sanctis Martyribus, qui, Marco Aurélio imperatóre, strénue pro vera pietáte certárant) æmulatórem sese præstíterit Testaménti Christi.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. Et.

Lectio v

Cum Mártyres ipsi Clerúsque Lugdunénsis de pace Ecclesiárum Asiæ, quam Montanistárum fáctio turbárat, sollíciti cum primis essent, Irenæum, cujus esse potíssimum habéndam ratiónem prædicábant, unum ómnium máxime delegérunt, quem Romam ad Eleuthérium Pontíficem mítterent rogátum, ut novis sectáriis auctoritáte Sedis Apostólicæ reprobátis, discordiárum causa tollerétur. Jam Photínus epíscopus Martyr decésserat ; huic Irenæus cum successísset, tam felíciter munus óbiit episcopátus, ut sapiéntia, oratióne, exemplóque suo non modo brevi cives Lugdunénses omnes, sed multos étiam aliárum Gálliæ úrbium íncolas superstitiónem atque errórem abjecísse, dedísseque christiánæ milítiæ nómina víderit. Intérea, cum de die celebrándi Páschatis orta esset conténtio, ac Victor Románus Póntifex Asiános epíscopos ab collégis réliquis fere ómnibus dissidéntes, aut prohibuísset communióne sacrórum, aut prohibére minátus esset, eum Irenæus sequéster pacis decénter mónuit, exemplísque usus Pontíficum superiórum indúxit, ut ne tot Ecclésias ob ritum, quem a majóribus accepísse se dícerent, avélli ab unitáte cathólica paterétur.

℟. Desidérium ánimæ

ejus tribuísti ei, Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Et.

Lectio vi

MULTA scripsit, quæ Eusébius Cæsariénsis, et sanctus Hierónymus mémorant, quorúmque pars magna intércidit injúria témporum. Exstant ejus advérsus hæreses libri quinque, anno círciter centésimo octogésimo perscrípti, dum adhuc Eleuthérius rem christiánam públicam géreret. In tértio libro vir Dei ab iis edóctus, quos auditóres constat fuísse Apostolórum, grave imprímis atque præclárum de Romána Ecclésia, deque illíus episcopórum successióne, divínæ traditiónis fidéli, perpétua, certíssima custóde dixit. Atque ad hanc, dixit, Ecclésiam propter potiórem principalitátem necésse est omnem convenire Ecclésiam, hoc est, eos qui sunt úndique fidéles. Postrémo una cum áliis prope innumerabílibus, quos ipse ad veram fidem frugémque perdúxerat, martyrio coronátus, migrávit in cælum anno salútis ducentésimo secúndo, quo témpore Septímius Sevérus Augústus eos omnes qui constántes in colénda christiána religióne perstáre voluíssent, in summum cruciátum dari atque intérfici imperáverat. Sancti Irenæi festum Benedíctus décimus quintus Póntifex máximus ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Stola jucunditátis índuit eum Dóminus : * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput ejus. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus : et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

IN illo témpore : Dixit Jesus pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi
Sermo 138 de Verb. Domini

AUDÍVIMUS Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, pastor bonus ; et unde sit pastor bonus, consequénter osténdit. Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus ? nonne bonus pastor ? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit ? Quid Paulus ? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Nonne omnes pastóres boni ?

℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso, Expréssa.

Lectio viii

OMNES ergo isti pastóres boni, non solum quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed caritáte. Quómodo autem habet vel exíguam caritátem, qui étiam convíctus non amat unitátem ? Hanc Dóminus unitátem comméndans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi, jam non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti Epíscopi. Omnes hi pastóres boni ; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed Pastórem bonum.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix de Vigilia Ss. Petri et Pauli App.

AD LAUDES

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

Oratio

DEUS, qui beáto Irenæo Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrínæ expugnáret hæreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret; da, quæsumus, plebi tuæ in sancta religióne constántiam, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per.

Et fit Com. Oct. ac Vigiliæ.

Vesp. de seq. sine ulla Com.

FESTA JULII

DIE 3 JULII

B. PETRI A LUXEMBURGO

CONFESSORIS

Duplex

(Avenione, duplex majus)

In II Vesp. Visitationis fit Com. B. Petri :

Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui gloriósum Confessórem tuum Petrum, velut inexstinguíbile jubar, grátia signórum coruscántem multipliciter decoráre non désinis, concéde propítius : ut omnes, qui tanti Confessóris implórant auxílium, ipsíus interveniéntibus méritis et précibus, petitiónum suárum salutárem consequántur efféctum. (Per.)

Deinde S. Leonis II Papæ :

Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Leónem Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

PETRUS, ex illustríssima Luxemburgénsium cómitum família ortus, Linæi in Lotharíngia, die vigésima Júlii anno millésimo trecentésimo sexagésimo nono natus est. Puer adhuc utróque parénte orbátus Joánnæ de Luxembúrgo comitíssæ de Orgériis educándus tráditur. Angélicam in córpore nactus índolem, annis infans, ánimo vir, mundo præcox, cælo matúrus, virginitátis florem Deo septénnis vovísse tráditur. Décimum annum agens, Lutétiam Parisiórum ad stúdia missus est, et licet máximam diéi noctísque partem in oratióne consúmeret, magnos fecit in omni scientiárum génere progréssus. At stúdia intermíttere coáctus, Calétum proféctus est, ut pro Valeráno fratre qui, ab Anglis captus, in arctióri custódia detinebátur prétio rediméndus, se daret óbsidem. Decem ibi menses íntegros, dum Valeránus redemptiónis prétium cómparat, Petrus cum infensíssimis hóstibus versátus est, soli Deo vacans. Solo Deo præceptóre utens, mirum est quot non modo virtútum, sed étiam doctrínæ fructus retúlerit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

PARÍSIOS redux, hujus ínsignis ecclésiæ canonicátu potítus, Vírgini Deíparæ perpétuum vovit famulátum. Tam singulári erga sanctíssimam Dómini Passiónem devotiónis afféctu tenebátur, ut illam longis meditatiónibus quotídie recóleret, lácrimis perfúsus, sæpéque étiam in éxtasim raptus. Nec vero intra Parisiórum límites tanta virtus continéri pótuit. Annos natus quíndecim, sed nihil præter ætátem immatúrum habens, Meténsis epíscopus

eléctus est. Metas non álio apparátu íngredi vóluit quam quo Christus Hierosólymam ingréssus est, ásinæ ínsidens. Solémnem ómnium órdinum supplicatiónem indíxit quam ipse totam nudis pédibus obívit. Ita suæ diœcésis lustratióni præludébat quam, suffragáneo epíscopo comitánte, absólvit, innúmera passim relínquens zeli, misericórdiæ et doctrínæ monuménta. Ad púrpuram deínde vocátus, Metas ægre et victus obediéntia deséruit, Avenionémque se cóntulit, ubi et humilitátis et abstinéntiæ et caritátis in páuperes præclaríssima édidit exémpla.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

VIRGIS, cilício, fúnibus aspérrimis carnem domábat. Jejúniis fere quotidiánis utens, et in oratióne pernóctans, altíssimæ contemplatiónis et lacrimárum dono, et dúplici Jesu Crucifíxi apparitióne dignátus est. Ecclésiæ amantíssimus, tribulatiónes ejus et ærúmnas ferébat ægérrime ; fatáli schísmate lacerátam ut vidit, ita dóluit ut contínuo mente vólveret qua posset ratióne ad concórdiam revocári. Interim famíliæ suæ vere apóstolus, eam regéndo probábat vires, et ad amplióra se accingébat, cum, maceratiónibus omnímodis conféctus, febre lenta corréptus, Villænóvæ trans Rhódanum, ætátis duodevigésimo anno, placidíssima morte obdormívit in Dómino. Tanta illíus sepúlcrum refúlsit glória miraculórum, ut intra biénnium eórum número supra duo míllia excréverit. Quibus rite probátis, Clemens séptimus innocéntem confessórem cæléstium Beatórum cœtui adnumerávit, anno salútis millésimo quingentésimo vigésimo séptimo ; Urbánus vero octávus ejúsdem Beáti offícium et festivitátem indúlsit. Sacræ ejus relíquiæ olim

in ecclésia Patrum Cælestinórum civitátis Avenionénsis magna veneratióne asservabántur. Exeúnte autem sæculo décimo octávo, cum nefárii hómines rerum potiréntur in Gálliis, dispérsæ sunt. Quædam vero partes, contra exspectatiónem repértæ et canónice recógnitæ, ineúnte anno millésimo octingentésimo quinquagésimo quarto, in ecclésiam parochiálem sancti Desidérii et in sacéllum majóris Seminárii ejúsdem civitátis solémni pompa delátæ sunt, ubi magna religióne colúntur.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi, de Comm. Conf. non Pont. 1° loco.

Lectio ix S. Leonis II Papæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui gloriósum Confessórem tuum Petrum, velut inexstinguíbile jubar, grátia signórum coruscántem multiplíciter decoráre non désinis, concéde propítius : ut omnes, qui tanti Confessóris implórant auxílium, ipsíus interveniéntibus méritis et précibus, petitiónum suárum salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Leonis Papæ :

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum Leónem Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem.

Deinde Oct. Ss. Petri et Pauli App.

IN II VESPERIS

Capit. Eccli. 31, 8-9

BEÁTUS vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pécúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus

CÆLITUM consors, patriæque lumen,
Spléndidos, auro radiánte, dexter
Exhibe vultus, propiúsque nostros
Réspice colles.

Primus, ætátis superánte captum
Impetu, gliscens pietátis ardor
Imbuit pectus, tenerísque raptim
Crevit ab annis.

Régii splendor géneris, nec illum
Pompa mundáni rétinet favóris;
Plus juvant, Christo duce, militántem
Aspera quæque.

Dum probat vires generósus infans,
Quanta jam de se rétulit trophæa!
En levi fastus, simul et volúptas,
Evolat ala.

Quid dapis parcum laticísque corpus
Eloquar, duro dómitum cubíli,
Sæpe et insómnes sólitum precándo
Dúcere noctes?

Astra matúrum sibi jam repóscunt,
Lustra qui nondum quátuor perégit;
Æquus hunc Judex vocat ad labórum
Præmia cælo.

At suum servant cíneres honórem;
Ipsa mors sanctum pavet ad sepúlcrum,
Díffugit luctus, putribúsque cedunt
Ulcera membris.

Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus:

Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui gloriósum Confessórem tuum Petrum, velut inexstinguíbile jubar, grátia signórum coruscántem multiplíciter decoráre non désinis, concéde propítius : ut omnes, qui tanti Confessóris implórant auxílium, ipsíus interveniéntibus méritis et précibus, petitiónum suárum salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Et fit Com. seq. diei infra Oct. Ss. Petri et Pauli App. :

Ant. Petrus Apóstolus * et Paulus doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Oratio

DEUS, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martyrio consecrásti : da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum ; per quos religiónis sumpsit exórdium.

Deinde S. Leonis :

Ant. Dum esset summus Póntifex, * terréna non métuit, sed ad cæléstia regna gloriósus migrávit.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Leónem Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dm̃.

DIE 9 JULII

Bb. IPHIGENIÆ A S. MATTHÆO et SOC.

VIRGINUM ET MARTYRUM

Duplex majus

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Magnif. Ant. Prudéntes Vírgines, * aptáte vestras lámpades: ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

Oratio

DEUS, virginitátis amátor et fortitúdinis benígne largítor, qui, ut fórtia mundi confúnderes, Iphigeníæ ejúsque Sociárum Vírginum flores, conjúnctis martyrii palmis, fróndere in grátiam voluísti; concéde propítius, ut, eárum intercessióne, fídei et caritátis constántiam in mundáno certámine imitántes, ejúsdem corónæ in cælis partícipes esse mereámur. Per Dm̃.

Et fit Com. præced.

In II Nocturno

Lectio iv

DUODEVICÉSIMO exeúnte sæculo dum funestíssima in Gállia tempéstas, quæ a terróre nomen accépit, advérsus Christi Ecclésiam invalésceret, duæ ac trigínta moniáles, quarum sédecim ex Ursulinárum Família, trédecim ex Congregatióne sorórum ab Adoratióne perpétua Sanctíssimi Sacraménti, binæ ex ínclyto Cistercénsium órdine, atque una ex órdine sancti Benedícti fuérunt, Arausióne illústre martyrium fecére. Recusáto scílicet ímpio quod præcipiebátur juraménto, suis e monastériis iníque depúlsæ, sese in aliénam condúctam domum collegérunt, ut ibi fidelíssima votórum observántia, monásticam, uno corde atque ánima una, vitam dúcere pérgerent. Licet summa laborárent egestáte, assíduas ferventésque preces, jejúnia aliásque córporis afflictatiónes explére biénnio numquam intermiserunt. Exínde íterum iterúmque denegáto juraménto, et constantíssime cathólicæ religióni adhæréntes, a satellítibus comprehénsæ, atque Arausiónem ductæ, in víncula conjéctæ sunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

CÁRCERIS asperitáte haud detérritæ, ibi étiam nil pótius habuérunt, quam religiósam singulári alacritáte vitam cólere, ádeo ut in se ómnium admiratiónem concitárent. Quandóquidem unam eamdémque cunctæ, mira consensióne, régulam sectántes, atque ómnibus quæ sibi præsto erant commúniter collátis, assíduis précibus, aliísque pietátis exercitationibúsque, sédulam óperam dare consuevérunt. Quinímmo exímia caritáte ductæ, ipsos ejúsdem cárceris cómites omni consiliórum génere ac ope solári, in religióne erudíre, atque ut cárceris angústias et incómmoda patientíssime perférrent, impénsa cura ánimum inténdere fuére sólitæ ; unde non pauci ad honéstam vitæ ratiónem tradúcti, álii æternórum præmiórum spe acti, majóres súmere vires, ipsiúsque cárceris moléstias libénter pérpeti, atque ad pietátem singulári alacritáte sectándam impélli cœpérunt.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

AD tribúnal piíssimæ vírgines ab ímpiis homínibus vocátæ, nec blandítiis inléctæ, nec minis pertérritæ, Deo magis quam homínibus obedíre exoptántes, nullo modo addúci potuérunt, ut nefárium juraméntum emítterent. Quare extrémo supplício damnátæ, mortis senténtiam mirábili cordis lætítia excepérunt. Intérea in cárcerem ante supplícium dedúctæ, mútuo sese cohortántes, in hymnis et cánticis ad necem fórtiter subeúndam suum ánimum comparárunt. Ad supplícium delátæ, cæléstes inhiántes núptias, tanto fuére perfúsæ gáudio, ut grates Deo piis concéntibus persólverent. Persecutóribus insuper atque carnifícibus

libentíssime ignoscéntes, ipsis grátias étiam referre haud omisérunt, atque edixére se magis erga eos gratum habére ánimum, quam erga paréntes, cum cítius, obtruncáto cápite, effécerint, ut ad cæléstem sponsum corónam glóriæ adeptúræ convolárent. Tantam profécto constántiam ac fortitúdinem persecutóres ipsi valde miránte, nonnísi cathólicæ religióni tríbui eam posse fassi sunt. Pius autem Papa undécimus, die décima Maji anni millésimi nongentésimi vicésimi quinti, quo universále Jubilæum peráctum est, præcláras duas et trigínta eásdem mártyres Beatórum fastis adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur tibi. Glória Patri. Afferéntur tibi.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile est regnum cælórum, de Comm. Virg. 2º loco.

AD LAUDES
et IN II VESPERIS

℣. Adducéntur Regi Vírgines post eam. ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi.

Ad Bened. et Magnif. Ant. Prudéntes Vírgines, * aptáte vestras lámpades : ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

Oratio

DEUS, virginitátis amátor et fortitúdinis benígne largítor, qui, ut fórtia mundi confúnderes, Iphigeníæ ejúsque Sociárum Vírginum flores, conjúnctis martyrii palmis, fróndere in grátiam voluísti ; concéde propítius, ut, eárum intercessióne, fídei et caritátis constántiam in mundáno certámine imitántes, ejúsdem corónæ in cælis partícipes esse mereámur. Per Dóminum.

Et in II Vesp. fit Com. seq.

DIE 19 JULII

S. VINCENTII A PAULO

CONFESSORIS

Duplex majus

Omnia ut in Breviario. II Vesp. dicuntur integræ et fit Com. seq. ac S. Margaritæ.

DIE 22 JULII

S. MARIÆ MAGDALENÆ

PŒNITENTIS

Duplex majus

Omnia ut in Breviario. II Vesperæ dicuntur integræ et fit Com. seq. ac S. Liborii.

DIE 26 JULII

SANCTÆ ANNÆ

MATRIS B. MARIÆ VIRG.

Duplex II classis

(Aptæ, dupl. I cl. cum Oct. communi.)

Pridie in II Vesp. S. Jacobi fit Com. S. Annæ :

Ad Magnif. Ant. Ascéndit * clamor ejus ad Deum, et exaudívit Deus gémitum ejus, ac recordátus est fœderis quod pépigit cum Abraham, Isaac et Jacob.

℣. Exspectávi Dóminum, et inténdit mihi. ℟. Et exaudívit preces meas.

Oratio

DEUS, qui beátæ Annæ grátiam conférre dignátus es, ut Genitrícis unigéniti Fílii tui Mater éffici mererétur ; concéde propítius, ut cujus solémnia celebrámus, ejus apud te patrocíniis adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Si I Vesp. dicendæ sint integræ, Ant. et Capit. de Laud., Pss. ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg. Hymnus ut infra ad Matutinum. ℣., Ant. ad Magnif. et Oratio ut supra.

AD MATUTINUM

Invit. Jesum de María fília Annæ natum * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

EXSÚLTET Apta gáudiis ;
Tutámen urbis et decus,
Almæ Paréntem Vírginis
Sacris celébret láudibus.

Regum piórum sánguini
Jungens Sacerdótes avos,
Illústris Anna spléndidis
Vincit genus virtútibus.

Cælo favénte, cóntrahit
Thori fidélis vínculum,
Sinúque casto cóncipit
Perénne sidus Vírginum.

Fœcúnda radix púllulans
Florem tenéllum próferet,
Qui lætus optáto dabit
Fructum salútis gérmine.

Sit laus Patri, sit Fílio
Tibíque, Sancte Spíritus;
Annæ pias sint per preces
Beáta nobis gáudia.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Fáciat Dóminus * hanc mulíerem, sicut Rachel et Liam, quæ ædificavérunt domum Israël.

Pss. ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

Ant. 2 Nunc, Dómine * Deus Israël, firméntur verba tua, quæ locútus es servo tuo David.

Ant. 3 Dabis veritátem * Jacob, misericórdiam Abraham, quæ jurásti pátribus nostris a diébus antíquis.

℣. Exspectávi Dóminum, et inténdit mihi. ℟. Et exaudívit preces meas.

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 31, 10-31

MULÍEREM fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum; de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

℟. Erat hæc in ómnibus famosíssima: quóniam timébat Dóminum valde; * Nec erat qui loquerétur de illa verbum malum. ℣. Non discedébat de templo, jejúniis, et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. Nec.

Lectio ii

GUSTÁVIT, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit

ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi : byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo.

℟. Ascéndit clamor ejus ad Deum, et audívit Deus gémitum ejus, ac * Recordátus est fœderis quod pégigit cum Abraham, Isaac et Jacob. ℣. Perficiéntur ea quæ dicta sunt a Dómino. Recordátus est.

Lectio iii

Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt : vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℟. Dedit illi Dóminus ut concíperet, et páreret ; dixerúntque mulíeres : Benedíctus Dóminus, qui * Non est passus ut defíceret famíliæ tuæ nomen in Israël. ℣. Deus Israël, ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, et memorári testaménti sui sancti. Non. Glória Patri. Non.

In II Nocturno

Ant. 4 Laudáte Dóminum * Deum nostrum : in me ancílla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël.

Ant. 5 Jurávit Dóminus * David veritátem, et non frustrábitur eam : de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Ant. 6 Anima mea * Dómino vivet ; et semen meum sérviet ipsi.

℣. Exsultábo et lætábor in misericórdia tua, Dómine. ℟. Quóniam respexísti humilitátem meam.

Sermo sancti Joánnis Damascéni

Oratio 2 de Nativ. B. Mariæ prope finem

Lectio iv

PROPÓNITUR nobis Annæ thálamus, conjugális vitæ simul et virginitátis formam réferens, illam matris, hanc fíliæ : quarum áltera recens sterilitáte liberáta est, áltera autem aliquánto post, Christi partum, ad nostræ natúræ conditiónem divíno opifício formátum, supra natúram est editúra. Mérito ígitur Anna, divíno Spíritu plena, læto hilaríque ánimo pérsonat : Congaudéte mecum, quæ promissiónis germen ex stérili ventre péperi, ac benedictiónis fructum ubéribus meis, ut optáveram, nútrio. Sterilitátis mæstítiam éxui, ac lætam fœcunditátis vestem índui. Congáudeat mecum hódie Anna illa, Phenénnæ adversária et novum hoc atque inopinátum miráculum, quod in me gestum est, suo exémplo concélebret.

℟. Custódiet Dóminus Deus pactum tibi, * Et misericórdiam quam jurávit pátribus tuis : benedicétque frúctui ventris tui. ℣. Invenísti grátiam apud Deum. Et.

Lectio v

EXSÚLTET Sara, seníli gáudio géstiens, meúmque ab sterilitáte concéptum præfigúrans. Cóncinant simul stériles et infœcúndæ visitatiónem meam, admirábili modo cælitus factam. Dicant item matres omnes hac fœcunditáte prædítæ : Benedíctus, qui oránti-bus id quod optábant, largítus est, et fœcunditátem stérili dedit, ac felicíssimum illud germen Vírginis concéssit, quæ Mater Dei secúndum carnem fuit, cujus venter cælum est, in qua habitávit is qui nullo loco capi potest. Cónsonam his nos quoque ipsi, quæ vocabátur stérilis, nunc autem virgínei thálami mater éxstitit, laudem offerámus. Dicámus ad eam cum Scriptúra : Quam beáta domus David, ex qua prodiísti, et venter, in quo Deus sanctificatiónis arcam, hoc est, eam a qua ipse sine

sémine concéptus est, fabricávit.

℟. Possidébit semen tuum portas inimicórum suórum; et * Benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ. ℣. Recordátus Deus misericórdiæ suæ, sicut locútus est Abraham et sémini ejus. Benedicéntur.

Lectio vi

VERE beáta es, ac ter beáta, quæ beatitúdine donátam a Deo infántem, hoc est, Maríam, nómine quoque ipso magnópere venerándam, peperísti : ex qua Christus vitæ flos éxstitit, cujus Vírginis et gloriósus fuit ortus, et partus mundo sublímior. Nos quoque, o beatíssima fémina, tibi gratulámur; étenim nostrum ómnium spem divínitus concéssam, hoc est, promissiónis fœtum peperísti. Beáta revéra es, et beátus fructus ventris tui. Pió-rum autem lingua germen tuum magnífícat, ac sermo omnis lætus partum tuum prædicat. Dignum sane quidem, ac máxime dignum est eam laudáre, quæ divína benignitáte oráculum accépit, ac talem et tantum nobis fructum édidit, ex quo dulcis Jesus pródiit.

℟. Benedícta tu a Deo tuo, quóniam in omni gente quæ audíerit nomen tuum, * Magnificábitur super te Deus Israël. ℣. Fecit magna qui potens est, fecit poténtiam in bráchio suo. Magnificábitur. Glória Patri. Magnificábitur.

In III Nocturno

Ant. 7 Tu glória Jerúsalem, * tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri, et eris benedícta in ætérnum.

Ant. 8 Fiat domus tua, * sicut domus Phares de sémine quod tibi déderit Dóminus ex hac puélla.

Ant. 9 Gaudébit super te * Dóminus in lætítia, silébit in dilectióne sua, exsultábit super te in laude.

℣. Visitásti terram, Deus salutáris noster. ℟. Multiplicásti locupletáre eam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 13, 44-52

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile

est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 11 in Evang.

CÆLÓRUM regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut, ex his quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit : quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et, per ea quæ usu dídicit quasi confricátus incaléscat; ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur ; quem, qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

℟. Laudáte, cæli, quóniam misericórdiam fecit Dóminus : * Jubiláte, extréma terræ, quóniam Israël gloriábitur. ℣. Quæ ad patres repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit fíliis. Jubiláte, extréma.

Lectio viii

QUA in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus absconditur, ut servétur : quia stúdium cæléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita, quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, cum scriptum sit : Vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in cælis est ; sed, ut per hoc quod ágimus, laudes extérius non quærámus. Sic autem sit opus in públicо, quátenus inténtio máneat in occúlto ; ut, et de bono ópere próximis præbeámus exémplum, et tamen per intentiónem, qua Deo soli placére quærimus, semper optémus secrétum.

℟. Misericórdia Dómini ab ætérno, et usque in ætérnum super timéntes eum; * Et justítia illíus in fílios filiórum, his qui servant testaméntum ejus. ℣. Misericórdia Dómini a progénie in progénies timéntibus eum. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix

THESÁURUS autem cæléste est desidérium; ager vero, in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii cæléstis. Quem profécto agrum, vénditis ómnibus, cómparat, qui, voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínæ cæléstis custódiam calcat : ut nihil jam quod caro blandítur, líbeat; nihil quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES ET PER HORAS

Ant. 1 Anima mea * Dómino vivet, et semen meum sérviet ipsi.

Pss. de Dominica.

2 Hæc dicit Dóminus : * Effúndam spíritum meum super semen tuum, et benedictiónem meam super stirpem tuam.

3 In sémine tuo * benedicéntur omnes famíliæ terræ, allelúja.

4 Hujus Deus * ex sémine secúndum promissiónem edúxit Israël Salvatórem Jesum.

5 Benedíctus * Dóminus, qui exaltávit eam. Amen, allelúja.

Capitulum Judith 13, 25

BENEDÍCTUS Dóminus, qui hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Hymnus

PROMÍSSA mundo gáudia
Jam sperat humánum genus :
Se sponsat Anna Jóachim,
Orbíque Christum præparat.

En ! désinunt suspíria,
Audívit ex alto Deus :
Summi Paréntem Núminis
Terris dat Anna Vírginem.

Hanc vota puri péctoris
Zelóque concéptæ preces

Prolem meréntur ómnium
Matrem salútis gígnere.
Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque, Sancte Spíritus;
Annæ pias sint per preces
Beáta nobis gáudia.
Amen.

℣. Narrábo ómnia mirabília tua. ℟. Psallam nómini tuo, Altíssime.

Ad Bened. Ant. Benedíctus * Dóminus Deus Israël, quia eréxit cornu salútis nobis in domo David púeri sui.

Oratio

DEUS, qui beátæ Annæ grátiam conférre dignátus es, ut Genitrícis unigéniti Fílii tui Mater éffici mererétur; concéde propítius, ut cujus solémnia celebrámus, ejus apud te patrocíniis adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Ad Hor. min. Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Anima mea.

AD TERTIAM

Ant. Hæc dicit Dóminus.

Capit. Benedíctus Dóminus, ut supra ad Laudes.

℟. br. Exspectávi Dóminum, et inténdit mihi, * Allelúja, allelúja. Exspectávi. ℣. Et exaudívit preces meas. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Exspectávi.

℣. Exsultábo et lætábor in misericórdia tua, Dómine, allelúja. ℟. Quóniam respexísti humilitátem meam, allelúja.

AD SEXTAM

Ant. In sémine tuo.

Capit. Eccli. 35, 20-21

QUI adórat Deum in oblectatióne, suscipiétur, et deprecátio illíus usque ad nubes propinquábit. Orátio humiliántis se nubes penetrábit; et donec propínquet, non consolábitur; et non discédet, donec Altíssimus aspíciat.

℟. br. Exsultábo et lætábor in misericórdia tua, Dómine, * Allelúja, allelúja. Exsultábo. ℣. Quóniam respexísti humilitátem meam. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Exsultábo.

℣. Visitásti terram, Deus salutáris noster, allelúja. ℟. Multiplicásti locupletáre eam, allelúja.

AD NONAM

Ant. Benedíctus Dóminus, qui exaltávit eam. Amen, allelúja.

Capit. Hebr. 6, 13-15

ABRAHÆ promíttens Deus jurávit per semetípsum dicens : Nisi benedícens benedícam te : et sic longanímiter ferens, adéptus est repromissiónem.

℟. br. Visitásti terram, Deus salutáris noster, * Allelúja, allelúja. Visitásti. ℣. Multiplicásti locupletáre eam. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Visitásti.

℣. Narrábo ómnia mirabília tua, allelúja. ℟. Psallam nómini tuo, Altíssime, allelúja.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Anima mea * Dómino vivet, et semen meum sérviet ipsi.

Pss. ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

2 Hæc dicit Dóminus : * Effúndam spíritum meum super semen tuum et benedictiónem meam super stirpem tuam.

3 In sémine tuo * benedicéntur omnes famíliæ terræ, allelúja.

4 Hujus Deus * ex sémine secúndum promissiónem edúxit Israël Salvatórem Jesum.

5 Benedíctus * Dóminus qui exaltávit eam. Amen, allelúja.

Capitulum Judith 13, 25

BENEDÍCTUS Dóminus, qui hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Hymnus

FESTIS læta sonent æthera cántibus ;
Dignas, terra, Deo sólvite grátias :
Aptæ, ne péreant, sacra Deíparæ
Matris pígnora crédidit.
Sunt hæc cara Deo ; cúrrite, cívitas ;
Hic spes nostra, salus ; hic fídei vigor ;
Hic fulmen Dóminus ponit, et íntegrat
Vitam fúneris in sinu.
Hic Regína vovet se pia : vívidum
Flexis poplítibus præsídium petit ;
Sanctos ante pedes áurea prócidens
Depónit diadémata.

Tutum subsídium, supplícibus cliens
Has dum relíquias plebs colit ósculis,
Hostis dejícitur, diffúgiunt mala,
Ex ipsis bona défluunt.
Hic quot prodígiis se Deus ásserit!
Hic surdi pátulis áuribus áudiunt,
Cæcis hic sua lux réddítur, et suus
Contráctis vigor ártubus.
Nobis, summa Trias, parce precántibus;
Annæ da méritis sídera scándere,
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum.
Amen.

℣. Narrábo ómnia mirabília tua. ℟. Psallam nómini tuo, Altíssime.

Ad Magnif. Ant. Dixit ei Rex: * Quæ est petítio tua, ut detur tibi, et quid vis fíeri? Si invéni grátiam in óculis tuis, o Rex, et si tibi placet, dona mihi pópulum pro quo óbsecro.

Oratio

DEUS, qui beátæ Annæ grátiam conférre dignátus es, ut Genitrícis unigéniti Fílii tui Mater éffici mererétur; concéde propítius, ut cujus solémnia celebrámus, ejus apud te patrocíniis adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Complet. de Dom.

DIE 29 JULII

SANCTÆ MARTHÆ

VIRGINIS

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Intrávit Jesus * in quoddam castéllum, et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam.

Pss. ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

2 Martha autem * satagébat circa frequens ministérium.

3 Diligébat Jesus * Martham, et sorórem ejus Maríam et Lázarum.

4 Dixit Jesus Marthæ: * Resúrget frater tuus, ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet.

5 Ait Martha: * Utique, Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Capit. Eccli. 26, 16-17

GRÁTIA mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit : disciplína illíus datum Dei est.

Hymnus

QUIDQUID supérna cívitas
Cavo recóndit ámbitu,
Hoc, Martha, claudis ædibus
Cum Jesus illuc ádvenit.
Beáta ter cœnácula,
Mensæ, cibi, sedília,
Quæ corpus illud áttigit,
Quod cuncta tactu cónsecrat.
Beátior sed Hóspita,
Quæ pascis a quo pásceris,
Mentémque reples Hóspite,
Dum membra curas Hóspitis.
Quam te juvat turbátio,
Cui talis ímminet quies !
Quam récreant negótia,
Quæ tanta præbent ótia !
Da, Martha, da fidélibus
Sic membra Christi páscere,
Ut pectus ímpleant Deo,
Mundi nec æstus séntiant.
Fac, dulcis Hospes méntium,
Nos Hóspitæ suffrágio,
Cæli quiéto cívium
Gaudére contubérnio.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Martha. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Suscépit Dóminum Martha, * sicut solent súscipi peregríni; sed tamen suscépit fámula Dóminum, ægra Salvatórem, creatúra Creatórem, spíritu pascénda in carne pascéndum.

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum pro salúte hóminum in terris conversántem sanctíssimæ Vírginis Marthæ hospítio súscipi voluísti; præsta, quæsumus, ut, ejúsdem Vírginis méritis et intercessióne, in cælórum domicílio récipi misericórditer valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. præced. et Ss. Felicis et Soc. Mm.

Complet. Fer.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Regem, qui beátam Mar-

tham cælo suscépit, a qua fúerat suscéptus in terris,
* Veníte, adorémus.
Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

CHRISTE vitæ, Christe mortis,
Jura juste témperans,
Et semel reos sepúlcri
Nocte longa cóntegens.
Quæ fuit hæc vis amóris ?
Quæ potéstas Hóspitæ ?
Ut tua jam lege raptum
Supplicánti rédderes ?
Sole jam quarto jacébat
Præda mortis Lázarus :
Corda frigus, ora pallor,
Membra livor téxerat.
Et lues fœdo per auras
Diffluébat hálitu ;
Martha lácrimis liquéscit,
Martha supplex áccidit !
Martha sperat, Martha credit,
Te Deum pronúntians ;
Vínceris, piásque reddis
Lacrimánti lácrimas.
Infremis, divóque mortis
Vincla rumpis spíritu :
Jussa mors audit, sibíque
Fit supérstes Lázarus.
Christe, fac preces fidélis
Séntiat plebs Hóspitæ,
Et suæ sepúlcra culpæ
Redivíva déserat.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Beátæ Marthæ * soror erat, nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus.

Pss. ut in Comm. Virg.

Ant. 2 Stetit Martha, * et ait : Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre : dic ergo illi ut me ádjuvet.

Ant. 3 Respóndens * dixit illi Dóminus : Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima ; porro unum est necessárium : María óptimam partem elégit quæ non auferétur ab ea.

℣. Intrávit Jesus in quoddam castéllum. ℟. Et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 26, 16-24

GRÁTIA mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit. Disciplína illíus datum Dei est. Múlier sensáta

et tácita non est immutátio erudítæ ánimæ. Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundi in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. Lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ áureæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

℟. Si quis mihi minístrat, me sequátur, * Et ubi ego sum, illic et miníster meus erit. ℣. Fecérunt hoc illi qui potuérunt Dóminum in córpore habére præséntem, sicut Martha et María. Et.

De libro Proverbiórum

Lectio ii Cap. 31, 10-27

MULÍEREM fortem quis invéniet ? Procul et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit linum, et lanam, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris de longe portans panem suum, et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum : de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus.

℟. Felix Martha, quæ non legátos Jesu fílii Nave, * Sed ipsum magis suscípere méruit Jesum verum Fílium Dei. ℣. Felix múlier quæ non exploratóres Jéricho. Sed.

Lectio iii

MANUM suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ

a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi ; byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit.

℟. Pro eo quod laborávit ánima ejus, * Vidébit et saturábitur. ℣. Quia enim segnis non éxstitit in ópere, Martha non erit vácua a fructu Maríæ. Vidébit. Glória Patri. Vidébit.

In II Nocturno

Ant. 4 Erat quidam * languens Lázarus, a Bethánia de castéllo Maríæ et Marthæ, sorórum ejus.

Ant. 5 Misérunt ergo * soróres ejus ad Jesum dicéntes : Ecce quem amas, infirmátur.

Ant. 6 Audiens autem * Jesus dixit eis : Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei ; ut glorificétur Fílius Dei per eam.

℣. Martha autem satagébat. ℟. Circa frequens ministérium.

Lectio iv

MARTHA, nobílibus et copiósis paréntibus nata, sed Christi Dómini hospítio clárior, post ejus ascénsum in cælum, cum fratre, soróre, et Marcélla pedíssequa, ac Maximíno, uno ex septuagínta duóbus discípulis Christi Dómini, qui totam illam domum baptizáverat, multísque áliis Christiánis, comprehénsa a Judæis, in navem sine velo ac remígio impónitur, vastissimóque mari ad certum naufrágium commíttitur. Sed navis, Deo gubernánte, salvis ómnibus, Massíliam appúlsa est.

℟. Martha ergo, * Ut audívit quia Jesus venit, occúrrit illi. ℣. Múlier sola médias per turbas éxiens per castrum totum, extra civitátem luctus témpore. Ut.

Lectio v

Eo miráculo et horum prædicatióne, primum Massiliénses, mox Aquénses ac finítimæ gentes in Christum credidérunt; Lazarúsque Massiliénsium et Maximínus Aquénsium epíscopus creátur. Magdaléna vero, assuéta oratióni et pédibus Dómini, ut óptima parte contemplándæ cæléstis beatitúdinis, quam elégerat, fruerétur, in vastam altíssimi montis spelúncam se cóntulit; ubi trigínta annos vixit, ab omni hóminum consuetúdine disjúncta, quotidiéque per id tempus ad audiéndas Cæléstium laudes in altum ab Angelis eláta.

℟. Dixit Martha ad Jesum : * Sed, et nunc scio quia quæcúmque popósceris a Deo dabit tibi Deus. ℣. Quasi díceret : scio quia potes, si vis fácies, utrum autem fácias judícii tui est, non meæ præsumptiónis. Sed.

Lectio vi

MARTHA autem, mirábili vitæ sanctitáte et caritáte, ómnium Massiliénsium ánimis in sui amórem et admiratiónem addúctis, in locum a viris remótum cum áliquot honestíssimis fémininis se recépit; ubi summa cum laude pietátis et prudéntiæ diu vixit, ac demum, morte sua multo ante prædícta, miráculis clara migrávit ad Dóminum, quarto Kaléndas Augústi. Cujus corpus apud Taráscum magnam habet veneratiónem.

℟. Jesus autem dixit Marthæ : * Qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet. ℣. Licet enim moriátur córpore, vivit spíritu, et licet moriátur ad tempus, non moriétur in ætérnum. Qui. Glória Patri. Qui.

In III Nocturno

Ant. 7 Martha ergo, * ut audívit quia Jesus venit, occúrrit illi.

Ant. 8 Dixit Jesu Martha * soror ejus qui fúerat mórtuus : Dómine, jam fœtet; quatriduánus est enim.

Ant. 9 Respóndit ei Jesus : * Nonne dixi tibi, quia si credíderis, vidébis glóriam Dei ?

℣. Dixit Martha ad Jesum. ℟. Dómine, si fuis-

ses hic, frater meus non fuísset mórtuus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10, 38-42

In illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum ; et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homilía sancti Basilíi Epíscopi

Martha hospítio Dóminum súscipit, ad ejus vero pedes ássidet María. Laudándum sane in utráque soróre stúdium. Céterum tu res distínguito. Nam Martha, in ministério occupáta, ea parábat quæ Hóspitis córpori futúra erant necessária. Contra María, cum ad pedes illíus assidéret, audiéndis quæ ab eo dicebántur vacábat. Sic áltera Dómini partem illam, quæ attíngi aspéctu póterat, reficiébat ; áltera parti illi, quæ occúlta cerni non póterat, intendébat. Vere enim qui áderat, et Homo erat, et Deus. Idem Dóminus ambárum mulíerum stúdium approbábat.

℟. Utique, Dómine, ego crédidi, * Quia tu es Christus Fílius Dei vivi. ℣. Crédidi quia tu es resurréctio ; crédidi quia tu es vita ; crédidi quia qui credit in te, etsi moriátur, vivet. Quia.

Lectio viii

At Martha, cum labóre nímio delassarétur, Dóminum rogábat ut ad se in suscépto múnere adjuvándam soródem vellet adhortári. Dic enim tu, inquit, ut surgens mecum minístret. Cui Dóminus : Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima : porro unum est necessárium ; María autem óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea. Neque enim ea fuit causa quam ob rem huc venirémus, ut in thoris supíni recumberémus ; sed ob eam rem hic sumus ut pascámus vos verbo veritátis, et mysteriórum contemplatióne. Itaque Dóminus neque illam a suscépto ministério est dehortátus, et huic laudem tribuit quod quæ díceret auscultáret.

℟. Nonne dixi tibi quia si credíderis, * Vidébis glóriam Dei ? ℣. Quia et fœténtem et quatriduánum suscitábo. Vidébis. Glória Patri. Vidébis.

Lectio ix

AGÉNDUM ígitur per duas mulíeres duo mihi vitæ génera introdúci animadvértito. Unum quidem inferióris notæ, nempe quod in crassióribus vitæ hujus munéribus obeúndis se occupárit, quamquam ipsum quoque utilíssimum est, álterum nobílius et cum spíritu magis conjúnctum, nimírum quod sese ad arcánas res contemplándas áltius extúlerit. Hic tu, qui audis, spirituáliter áccipe et utrúmvis magis placúerit delígito. Atque si ministráre vis, in nómine Christi ministráto. Ipse enim dixit : Quátenus fecístis uni de his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Intrávit Jesus * in quoddam castéllum, et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam.

Pss. de Dominica.

2 Martha autem * satagébat circa frequens ministérium.

3 Diligébat Jesus * Martham, et sorórem ejus Maríam et Lázarum.

4 Dixit Jesus Marthæ : * Resúrget frater tuus, ego sum resurréctio et vita : qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet.

5 Ait Martha : * Utique, Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Capit. Eccli. 26, 16-17

GRÁTIA mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit : disciplína illíus datum Dei est.

Hymnus

FELÍCE, Martha, rémige,
Temóne, velo, flámine,
Rectóre, nauta návigas,
Cum Christus hæc sit ómnia.

Te nostra prono géstiunt
Sinu tenére líttora,

Quam sustinére pérfidæ
Tellúris ora nésciit.
Tu monstra nostris éxiges
Terris, et undis óbruta
Vitæ redúces córpora,
Regésque morbis éximes.
Quod quisque supplex éxpetet
Hoc impetrátum, próspere
Feret, petens salúbria,
Nullúmque tristem déseres.
O ter quatérque, o sépties
Beátus urbis áccola,
Qui te ac tuórum cóminus
Sedem célebrat óssium.
Cui propter advólvi licet,
Qui flétibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit múrmure.
Fac, dulcis Hospes méntium,
Nos, Hóspitæ suffrágio,
Cæli quiéto cívium
Gaudére contubérnio.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Martha. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Ant. Esuriébat Dóminus, * et sitiébat, non quia cogebátur, sed quia dignabátur ; bonum enim erat, ut per quem facta sunt ómnia esuríret, sic enim felix esset Martha quæ pásceret.

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum pro salúte hóminum in terris conversántem sanctíssimæ Vírginis Marthæ hospítio súscipi voluísti ; præsta, quæsumus, ut, ejúsdem Vírginis méritis et intercessióne, in cælórum domicílio récipi misericórditer valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Ss. Felicis et Soc. Mm.

Ad Horas min. Ant. et Pss. Feriæ.

AD TERTIAM

Capit. Grátia mulíeris, ut supra ad Laudes.

℟. br. Intrávit Jesus * In quoddam castéllum. Intrávit. ℣. Et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. In. Glória Patri. Intrávit.

℣. Martha autem satagébat. ℟. Circa frequens ministérium.

AD SEXTAM

Capit. Eccli. 26, 21

SICUT sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus.

℟. br. Martha autem * Satagébat. Martha. ℣. Circa frequens ministérium. Satagébat. Glória Patri. Martha.

℣. Dixit Martha ad Jesum : Dómine, si fuísses hic. ℟. Frater meus non fuísset mórtuus.

AD NONAM

Capit. Eccli. 26, 23-24

COLÚMNÆ áureæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris ; fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

℟. br. Dixit Martha ad Jesum : * Dómine, si fuísses hic. Dixit. ℣. Frater meus non fuísset mórtuus. Dómine. Glória Patri. Dixit.

℣. Ora pro nobis, beáta Martha. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Intrávit Jesus * in quoddam castéllum, et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam.

Pss. ut in Comm. Fest. B. Mariæ Virg.

2 Martha autem * satagébat circa frequens ministérium.

3 Diligébat Jesus Martham, * et sorórem ejus Maríam et Lázarum.

4 Dixit Jesus Marthæ: * Resúrget frater tuus, ego sum resurréctio et vita : qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet.

5 Ait Martha: * Utique, Dómine, ego crédidi quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Capit. Eccli. 26, 16-17

GRÁTIA mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit : disciplína illíus datum Dei est.

Hymnus

QUIDQUID supérna cívitas
Cavo recóndit ámbitu,
Hoc, Martha, claudis ædibus
Cum Jesus illuc ádvenit.

Beáta ter cœnácula,
Mensæ, cibi, sedília,
Quæ corpus illud áttigit,
Quod cuncta tactu cónsecrat.

Beátior sed Hóspita,
Quæ pascis a quo pásceris,
Mentémque reples Hóspite,
Dum membra curas Hóspitis.

Quam te juvat turbátio,
Cui talis ímminet quies!
Quam récreant negótia,
Quæ tanta præbent ótia!

Da, Martha, da fidélibus
Sic membra Christi páscere,
Ut pectus ímpleant Deo,
Mundi nec æstus séntiant.

Fac, dulcis Hospes méntium,
Nos Hóspitæ suffrágio,
Cæli quiéto cívium
Gaudére contubérnio.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Martha. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Cum transíerit necéssitas, *nullum erit ministérium necessitátis; auferétur labor, sed reddétur merces. Pars ergo Marthæ transit, sed merces pro illa data non transit.

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum pro salúte hóminum in terris conversántem sanctíssimæ Vírginis Marthæ hospítio súscipi voluísti; præsta, quæsumus, ut, ejúsdem Vírginis méritis et intercessióne, in cælórum domicílio récipi misericórditer valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. seq.
Complet. Feriæ.

FESTA AUGUSTI

DIE 2 AUGUSTI

SANCTI AUSPICII APTENSIS EP. ET MART.

Duplex
(Aptæ, dupl. 2 cl.)

In II Vesp. præced., post Com. S. Pauli Ap., fit Com. S. Auspicii:

Ad Magnif. Ant. Ecce super montes * pedes evangelizántis; célebra, Juda, festivitátes tuas, et redde vota tua, quia non adjíciet ultra ut pertránseat in te Bélial.

℣. In Deo salutáre meum et glória mea. ℟. Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Oratio

DEUS, qui in córdibus nostris per beátum Auspícium fídei lucem de ténebris splendéscere fecísti ; concéde, quæsumus, ut, ejus intercedéntibus méritis fides quæ sine opéribus mórtua est, pietátis exercítio viva in nobis persevéret. (Per Dóminum.)

Deinde S. Alfonsi de Ligorio :

Ant. O Doctor óptime, * Ecclésiæ sanctæ lumen, beátæ Alfónse María, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEUS, qui per beátum Alfónsum Maríam Confessórem tuum atque Pontíficem, animárum zelo succénsum, Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti : quæsumus ; ut, ejus salutáribus mónitis edócti et exémplis roboráti, ad te pervenire felíciter valeámus.

Tandem S. Stephani I Papæ et Mart. :

Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Stéphanum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Si I Vesp. dicendæ sint integræ :

Ant. 1 Mittam * ex eis qui salváti fúerint, ad gentes, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam.

Pss. de Dom., sed loco ult., Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

2 Audívi vocem * Dómini dicéntis : Quem mittam, et quis ibit no-

bis? Et dixi : Ecce ego, mitte me.

3 Dóminus dixit mihi: * In gentes nunc ego mitto te, aperíre óculos eórum, ut convertántur a ténebris ad lucem.

4 Incurvábitur * sublímitas hóminum, et elevábitur Dóminus solus in die illa; et idóla pénitus conteréntur.

5 Géntibus * missum est hoc salutáre Dei, et ipsi áudient.

Capit. et Hymnus ut in II Vesp.

℣., Ant. ad Magnif. et Oratio ut supra.

Com. præced., S. Pauli Ap. et S. Alfonsi tantum.

AD MATUTINUM

Invit. Deum, qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

LÆTÁRE, cælum; pláusibus
Tellus resúltet æmulis,
Auspícii victóriam
Celébret Apta cántibus.

Sacro replétus Flámine,
Ridet minas, ridet neces,
Deíque fretus déxtera,
Imáginem calcat Jovis.

Furit tyránnus : ímpiæ
Audax secúri das pedem
Pastor; secánda sépties
Mox membra, truncus óccides.

Unus tot armátas manus
Stupénte lassat júdice;
Et tortus ipsis, qui cadit,
Torquéntibus fit fórtior.

Tanti, Deus, da fíliis
Patris sequi vestígia :
Da sustinére pro tuo
Quodcúmque durum nómine.

Uni sit et Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte, qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Fide obedívit * in locum exíre, quem acceptúrus erat in hereditátem.

Pss. ut in Comm. App.

Ant. 2 Surréxit, * et ábiit juxta verbum Dómini, et cœpit introíre in civitátem.

Ant. 3 Incitabátur * spíritus ejus in ipso, videns idololatríæ déditam civitátem.

℣. In Deo salutáre meum et glória mea. ℟. Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses

Lectio i Cap. 1, 2-6

GRÁTIAS ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum; sciéntes, fratres dilécti a Deo, electiónem vestram; quia evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu Sancto, et in plenitúdine multa; sicut scitis, quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus Sancti ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus.

℣. Dixit Dóminus illi : Lóquere, et ne táceas : propter quod ego sum tecum, * Quóniam pópulus est mihi multus in hac civitáte. ℣. Verbum meum non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur. Quóniam.

Lectio ii Cap. 1, 8-10

IN omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui : ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero ; et exspectáre Fílium ejus de cælis, quem suscitávit ex mórtuis, Jesum qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit : sed ante passi, et contuméliis affécti, sicut scitis.

℣. Locútus est ómnia verba quæ díxerat Dóminus, et fecit signa, * Et crédidit pópulus, audierúntque quod visitásset illos Dóminus, et proni adoravérunt.

℣. Disseminabátur verbum Dómini per univérsam regiónem, crescébat, et multiplicabátur. Et.

Lectio iii Cap. 2, 2-8

FIDÚCIAM habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo ut crederétur nobis Evangélium : ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis, neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est ; nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli : sed facti sumus párvuli in médio vestrum tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis. ℟. Verbum ipsíus quasi fácula ardébat ; amplificátus est in mirabílibus, et quis potest similiter sic gloriári ? * Non pertímuit príncipem, nec superávit illum verbum áliquod. ℣. Hic erat potens in scriptúris, et fervens spíritu loquebátur, et docébat diligénter ea quæ sunt Jesu. Non. Glória Patri. Non.

In II Nocturno

Ant. 4 Cum sumpsísset * cor ejus audáciam propter vias Dómini, étiam excélsa et lucos ábstulit.

Ant. 5 Dilatávit glóriam * pópulo suo, et omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt.

Ant. 6 Dixérunt : * Moriátur, quia destrúxit aram Baal ; qui adversárius est ejus, moriátur, ántequam lux crástina véniat.

℣. Deus meus adjútor meus, et sperábo in eum. ℟. Protéctor meus et cornu salútis meæ.

Lectio iv

AUSPÍCIUS Románus, post martyrium Fláviæ Domitíllæ, cujus educátor fúerat, a beáto Cleménte consecrátus episcopus, in

Gállias profféctus est, adjúnctis sibi prædicatiónis sócius Euphrásio et Emiliáno. Progréssum ad regiónem Gálliæ Narbonénsis eum suávis divínæ providéntiæ dispositio in civitátem egit Aptén-sem non ignóbilem in Província Romanórum colóniam, quæ, ut Júlii Cæsaris nómine præ céteris fúerat insignita, ita et omnígenam Románæ urbis superstitiónem curiósius amplexabátur, et fovébat studiósius. Inclytæ civitátis sortem miserátus Auspícius, eam ab inánium deórum cultu revocáre et ad christiánam religiónem tradúcere divíno afflánte númine, aggréditur. Ergo simulácris bellum indícit; Evangélium constánter prædicat; propagándæ fídei instat opportúne, importúne; eóque succéssu árguit, óbsecrat in omni patiéntia et doctrína, ut multi, ejus contínuis labóribus et sermónis efficacitáte addúcti, éthnicæ superstitióni núntium remíserint.

℟. Non in vácuum cucúrri, neque in vácuum laborávi; sed * Etsi immolor supra sacrifícium et obséquium fídei vestræ, gáudeo et congrátulor ómnibus vobis: idípsum autem et vos gaudéte, et congratulámini mihi. ℣. Non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. Etsi.

Lectio v

CRESCÉBAT in dies credéntium multitúdo; jamque Deo cooperánte et sermónem confirmánte sequéntibus signis, lux evangélica quæ civitáti resplendúerat in finítimos pópulos diffundebátur; cum ecce idolórum sacrifículi apud Trajánum conquerúntur turbári a Christiánis in Gállia Narbonénsi, neglécta deórum templa, ínclytam Vulgiéntium civitátem Aptam Júliam ad uníus viri vocem ab avíta religióne pene totam defecísse. Qua re ad Dactylium et Tertúllam, qui legáti Provínciæ præerant, deláta, comprehénditur prætensárum turbárum auctor, Auspícius, et in cárcerem detrúditur; ubi, férreis licet vinctus caténis, christiánam fidem prædicáre non dé-

stitit, ipsósque étiam satéllites et cárceris custódes ad Christum convértere allaborávit.

℟. Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, maniféste tu scis, quia duros córporis sustíneo labóres : secúndum ánimam vero, * Propter timórem tuum libénter hæc pátior. ℣. Nihil véreor, nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum et ministérium verbi quod accépi a Dómino Jesu. Propter.

Lectio vi

Elápsis vero áliquot diébus, pro tribunáli decérnens Dactylius jussit Auspícium accersíri, eíque denuntiáto Cæsaris edícto, optiónem dat, velítne deos venerári, aut cápitis subíre sententiam. Interim affértur Jovis simulácrum. Tum vero præsul, quasi venerabúndus, ac véluti adoratúrus ad idólum accédens, illud pede dextro déjicit et concúlcat. Judex furóre pércitus déxterum illíus pedem Jovis contemptórem íllico jubet amputári. Mox, quo supplícii terror látius spargerétur, crudélius sæviens quia léntius, per septem contínuos dies Auspícium membrátim discíndi et cruciári imperat. Quo in supplício probátus Pastor, diutúrnam spectábili patiéntia mortem gustans, mira ánimi firmitáte et invícta constántia martyrium felíciter consummávit. Passus est Aptæ Júliæ quarto Nonas Augústi, Trajáno imperatóre et Dactylio præside. Ejus corpus a Christiánis in crypta subterránea sepúltum : inde, post bene longum témporis decúrsum spátium, summa celebritáte et solemnióri pompa in superióri cathedráli ecclésia collocátum est.

℟. E cælo membra ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício ; * Quóniam ab ipso me ea receptúrum spero. ℣. Salvum me fáciet Dóminus in regnum suum cæléste cui glória in sæcula sæculórum. Amen. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Nocturno

Ant. 7 Evangélium nostrum * non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu Sancto, et in plenitúdine multa.

Ant. 8 Etsi áliis * non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum ; nam signáculum Apostolátus mei vos estis in Dómino.

Ant. 9 Quæ est nostra spes, * aut gáudium, aut coróna glóriæ ? Nonne vos ante Dóminum Jesum ? Vos estis glória nostra et gáudium.

℣. Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum. ℟. Si consúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperábo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

In illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi
Sermo 138 de verbis Domini

Audívimus Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium, in qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, bonus pastor. Et unde sit pastor bonus, consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam pro óvibus ponit. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus ? Nonne bonus pastor ? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit ? Quid Paulus ? Quid céteri Apóstoli ? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres ? Nonne omnes pastóres boni, non mercenárii de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam ? Omnes ergo illi pastóres boni, non solum quia sánguinem fudérunt, sed

quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed caritáte.

℟. Scitis quáliter unumquémque vestrum, sicut pater fílios suos deprecántes vos et consolántes, testificáti sumus ut ambularétis digne Deo, * Qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. ℣. Oculi vestri vidérunt ópera Dómini magna quæ fecit, ut custodiátis univérsa mandáta illíus. Qui.

Lectio viii

NAM et apud hæréticos: qui propter iniquitátes et erróres suos áliquid molestiárum perpéssi fúerint, nómine martyrii se jactant, ut, hoc pállio dealbáti, facílius furéntur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo número habéndi sunt, Pastórem bonum Paulum Apóstolum audíte: quóniam non omnes, qui córpora sua in passióne étiam ígnibus tradunt, æstimándi sunt sánguinem fudísse pro óvibus, sed pótius contra oves.

℟. Cum apud vos essémus, prædicabámus vobis passúros nos tribulatiónes sicut et factum est, et scitis: * Ideo consoláti sumus in omni tribulatióne nostra per fidem vestram. ℣. Vos scitis quanta fécimus et angústias quales vídimus. Ideo. Glória Patri. Ideo.

Lectio ix S. Alfonsi Mariæ.

AD LAUDES

Ant. 1 Figúras idolórum ábstulit, * ut statúeret verba legis quæ scripta sunt.

Pss. de Dominica.

2 Adduxérunt eum * ad tribunále dicéntes: Quia contra legem hic persuádet homínibus cólere Deum.

3 Trahébant eum * ad príncipes civitátis, clamántes: Quóniam hic qui urbem cóncitat, et huc venit, contra decréta Cæsaris facit.

4 Viri regis * dixérunt ad eum: Fac secúndum verbum regis, et vives. Et dixit: Non fáciam.

5 Vir ætáte provéctus * et vultu decórus, gloriosíssimam mortem compléctens voluntárie præíbat ad supplícium.

Capit. Hebr. 13, 7

FRATRES : Mementóte præpositórum vestrórum qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

QUANTIS nostra fides empta labóribus,
Quam tot purpúrei sánguine Mártyres
Signátam, cáleant ut sacra péctora,
Transmisére nepótibus.
Hac spirámus adhuc, vívimus hac fide;
Hinc spes certa venit; náscitur hinc salus;
Si non degéneres nos séquimur Patrem,
Natis laus erit et Patri.
Ex hoc fonte sacro plénius háusimus;
Christi rellígio móribus íntegra
Ad nos usque redit; plena Deo fluit,
His doctrína canálibus.
Verus pastor, oves, sánguine quas tuo
Fecísti próprias, pasce, bonus regas;
Et nos, namque tui te séquimur ducem,
Duc in pínguia páscua.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cui se rite litans fúnere spléndido
Ardens cónsecrat hóstia.
Amen.

℣. Dóminus mihi adjútor. ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo.

Ad Bened. Ant. Bonum certámen certávi, * cursum consummávi, fidem servávi; in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ.

Oratio

DEUS, qui in córdibus nostris per beátum Auspícium fídei lucem de ténebris splendéscere fecísti : concéde, quæsumus, ut ejus intercedéntibus méritis, fides quæ sine opéribus mórtua est, pietátis exercítio viva in nobis persevéret. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Alfonsi et S. Stephani.

Ad Hor. min. Ant. et Pss. Feriæ.

AD TERTIAM

Capit. Fratres, ut supra ad Laudes.

℟. br. In Deo salutáre meum, * Et glória mea. In Deo. ℣. Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est. Et. Glória Patri. In Deo.

℣. Deus meus adjútor meus et sperábo in eum. ℟. Protéctor meus et cornu salútis meæ.

AD SEXTAM

Capit. 2 Cor. 12, 10

PLÁCEO mihi in infirmitátibus meis, in contuméliis, in necessitátibus ; in persecutiónibus, in angústiis pro Christo. Cum enim infírmor, tunc potens sum.

℟. br. Deus meus adjútor meus, * Et sperábo in eum. Deus meus. ℣. Protéctor meus, et cornu salútis meæ. Et. Glória Patri. Deus meus.

℣. Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum. ℟. Si exsúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperábo.

AD NONAM

Capit. 2 Tim. 1, 12

PÁTIOR, sed non confúndor. Scio enim cui crédidi, et certus sum quia potens est depósitum meum serváre in illum diem.

℟. br. Si consístant advérsum me castra, * Non timébit cor meum. Si consístant. ℣. Si exsúrgat advérsum me prælium, in hoc ego sperábo. Non. Glória Patri. Si consístant.

℣. Dóminus mihi adjútor. ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Vestrum Apóstolum * cum honóre habetóte, quóniam propter opus Christi usque ad mortem accéssit, tradens ánimam suam.

Pss. ut in II Vesp. de Comm. App.

2 Patiénter sústinens, * destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem.

3 Divítias æstimans * impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem.

4 Hoc modo * vita decéssit, univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis et fortitúdinis derelínquens.

5 In pópulo * hereditábit honórem, et nomen illíus erit vivens in ætérnum.

Capit. Hebr. 13, 7

FRATRES : Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

LUX de luce, Deus, fons quoque lúminum,
Quo stat perpétuus Cælítibus dies,
Aptam sub Stygia nocte misérrimam
Quanto lúmine récreas !
Huc de sede Petri férvidus ádvolat :
Aras, fana, Deos, fúnditus éruit ;
Et Christum résonans Auspícius Deum,
Cultus dédocet ímpios.
Noctes atque dies hic rúdibus pia
Commíttit fídei sémina méntibus ;
Sacris bárbara gens, jam dócilis Deo,
Christum fóntibus índuit.
Crescit sancta fides, fit nova cívitas ;
Hinc sævit rábies in ténerum gregem ;
Surdum blandítiis, nec tímidum mori
Pastórem furor ímpetit.
Aptántur gládii, vérbera, cómpedes ;
Præsul supplícium delícias putat ;
Subdit se gládiis, exánimis jacet,
Cælo láurifer ádvolat.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cui se rite litans fúnere spléndido
Ardens cónsecrat hóstia.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine.
℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Hic est * fratrum amátor et pópuli ; hic est qui multum orat pro pópulo et univérsa sancta civitáte.

Oratio

DEUS, qui in córdibus nostris per beátum Auspícium fídei lucem

de ténebris splendéscere fecísti : concéde, quæsumus, ut ejus intercedéntibus méritis, fides quæ sine opéribus mórtua est, pietátis exercítio viva in nobis persevéret. Per Dóminum.

Et fit Com. seq. :

Ant. Stéphanus autem * plenus grátia et fortitúdine, faciébat signa magna in pópulo.

℣. Sepeliérunt Stéphanum viri timoráti. ℟. Et fecérunt planctum magnum super eum.

Oratio

DA nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus : ut discámus et inimícos dilígere ; quia ejus Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Deinde S. Alfonsi Mariæ.

Compl. Feriæ.

DIE 9 AUGUSTI

S. JOANNIS MARIÆ VIANNEY

CONFESSORIS

Duplex

Omnia ut in Proprio Galliæ.

DIE 15 AUGUSTI

ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRG.

TITULARIS ECCLES. METROPOLIT.

Dupl. I cl. cum Oct. comm.

Omnia ut in Breviario.

DIE 16 AUGUSTI

IN FESTO

SANCTI JOACHIM

CONFESSORIS

Com. S. Rochi Conf.

AD MATUTINUM

Lectio ix

ROCHUS in Monte Pessuláno natus quanta in próximum caritáte flagráret, tum máxime osténdit, cum, sævíssima peste longe latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit, urbésque et óppida péragrans, seípsum in ægrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere non dubitávit. Quod beáti viri stúdium quam gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum

est. Complúres enim pestiléntia infféctos e mortis perículo signo crucis erípuit et íntegræ sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives, sanctíssime óbiit; ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium quæ in Constantiénsi deínde concílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum ad propulsándam ingruéntem luem, Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo per eámdem civitátem, epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirífice propagátus est univérso terrárum orbe, qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis, Urbánus octávus Póntifex máximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent ecclésiæ sancti Rochi nómine Deo dicátæ, offício ecclesiástico celebrarétur indúlsit.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes: Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

PÓPULUM tuum, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi, et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dm̃.

DIE 18 AUGUSTI

SANCTÆ RUSTICULÆ

VIRGINIS

Duplex

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Intende, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

SÚPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, ut, interveniénte beáta Rustícula Vírgine, tua in nobis dona multíplices, et témpora nostra dispónas. Per Dóminum.

Fit Com. præced., Oct. Assumpt. et S. Agapiti Mart.

In II Nocturno

Lectio iv

RUSTÍCULA virgo, ex família Mártia Valeriáno et Cleméntia nobilíssimis et christiánis paréntibus Románis orta, nata est in agro Hebosíaco qui situs est in território Vasionénsi. Una et éadem dies mórtuum patrem et fíliam mundo éditam excépit. Fílio ítidem non multo post orbáta mater, sicque dúplicis viduitátis veste contécta, mærórem et luctum, quem ex cónjugis et fílii jactúra concéperat, hac sibi resídua prole quoquómodo póterat sublevábat. Illam ítaque ad sacri baptísmatis fontem statútam ex suo génere Rustículam vocávit. Pulchra fácie et córpore eleganti, sed ánimi dótibus insignior, tanto in sui amórem affínes, amícos, vicínos rapiébat, ut omnes de tali gemma véluti e cælo concéssa matri congratularéntur. Cum quinque esset annórum, rapta est a quodam príncipe viro Cheraónio, Guntrámni regis Aurelianénsium familiári, ut illam, cum núbilis esset, fílii sui connúbio júngeret. Verúmtamen, quid de illa Dóminus statuísset, per sómnium matrem admónuit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et dedúcet.

Lectio v

MONASTÉRIO vírginum, quod Areláte sanctus Cæsárius olim soróri suæ Cæsáriæ constrúxerat, tunc præerat Lilíola : cui étiam de hac vírgine adsciscénda divínitus revelátum fúerat. Itaque Rustícula, jussu Guntrámni regis, ad id suadénte Syágrio Augustodunénsi epíscopo, inscia matre, et invito Cheraónio, Arelátem dúcitur : excéptaque a Sapáudo epíscopo, Liliolæ tráditur educánda. Tot caritátis, humilitátis, prudéntiæ, patiéntiæ, et benignitátis, signa in omnes édidit, ut,

defúncta Liliola, sancta illa vírginum congregátio hanc sibi matrem elégerit. Psaltérium íntegrum et totos sacræ Scriptúræ libros memória tenébat. Vix décimum octávum ætátis annum impléverat, cum monastérii curam suscépit. Ex quo deínceps ita se jejúniis et vigíliis dedit, ut tértio tantum quoque die cibum súmeret, et cilício tegerétur. Réliquis vero soróribus noctúrnis horis quiescéntibus, per totam noctem in ecclésia psalmis, oratiónibus, et lácrimis insistébat. Lectum ad somnum numquam, nisi semel in anno, sibi compóni permísit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

Invídia Ricamíri príncipis falso accusáta, ope Nymphídii præfécti Arelaténsis, ad Clotárium regem ire vincta compéllitur : permúltis in itínere et in aula miráculis éditis, ínnocens honorífice remíttitur. Incredíbile est, quanto cum gáudio soróres, atque illam tota plebs redeúntem suscéperint. In monastério sacras ædes et vírginum cellas auxit et ampliávit. Multa oratória ítidem in urbe suis súmptibus exstrúxit. Tandem décimo quarto anno post réditum suum, et séptimo supra septuagésimum ætátis suæ, sub Theodósio epíscopo Arelaténsi, suprémum diem óbiit. Corpus ejus cum magna fúneris pompa, majoríque cívium luctu, in ecclésiam sancti Trophími per optimátes urbis illátum, ad dextrum latus altáris majóris collocátur. Nec illud mirábile prætereúndum est, quod dum inferrétur, permúlti ægrotántes, colla ejus féretro submitténtes, íllico sanabántur. Floréntius présbyter Tricastínus ejus vitam elegánter conscrípsit.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsul-

tatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile erit... decem virgínibus, de Comm. Virg. 1° loco.

Lectio ix S. Agapiti.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

SÚPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, ut, interveniénte beáta Rustícula Vírgine, tua in nobis dona multíplices, et témpora nostra dispónas. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. et S. Agapiti.

Vesp. a Capit. de seq., et fit Com. præced., S. Joannis Eudes et Oct., ut infra.

DIE 19 AUGUSTI

SANCTI MAGNI

AVENIONEN. EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

PROPITIÁRE, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Magni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa et Oratio Súpplices, ut supra.

Deinde S. Joannis Eudes Conf. :

Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEUS, qui beátum Jánnem Confessórem tuum, ad cultum Sacrórum Córdium Jesu et Maríæ rite promovéndum, mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Eccléśia tua Famílias congregáre voluísti : præsta, quæsumus ; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis.

Tandem Octavæ :

Ant. Hódie * María Virgo cælos ascéndit : gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

FAMULÓRUM tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus : Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum.

In II Nocturno

Lectio iv

MAGNUS, ex nóbili Albiénsium família oriúndus, Avenióne natus est. Hujus urbis præfectúram primo exércuit ; mórtua vero uxóre in Lirinénse monastérium ad fílium Agrícolum se cóntulit, ibíque présbyter factus est. Paulo post, Avenionénsi cáthedra vacánte, propter exímias virtútes, in epíscopum a suis cívibus prope senex assúmptus est : quo múnere episcopáli sic functus est, ut laudem summam consequerétur ab ómnibus. Mira fuit ejus patiéntia, et in páuperes singuláris cáritas ; ecclesiásticam disciplínam restítuit ; subscrípsit Cabellionénsi synodo, filiúmque Agrícolum ad se revocátum archidiáconi múnere decorávit. Verum, urgénte sénio, eúmdem sibi coadjutórem dari curávit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius

iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

VIDIT ítaque beátus Pater suam sponsam fílio desponsátam; vidit et suam vivam imáginem in sua sede collocátam; vidit gregem suum mutásse hóminem, nec tamen mutásse pastórem: quidquid enim senex in se optásset, hoc et in Agrícolo vidébat emicáre. Quare státuit eídem ecclésiæ suæ sua ómnia elargíri, cui se filiúmque devóverat. Prædia et possessiónes quæ illi supérerant, donatióne consecrávit. Quibus peráctis, non multo interjécto témpore, ad cæléste præmium evolávit décimo quarto Kaléndas Septémbris. Cujus corpus diu in dicta beátæ Vírginis ecclésia asservátum, a Joánne vigésimo secúndo Pontífice máximo in ecclésiam sancti Agrícoli magnificentíssime translátum fuit, ubi nunc summa fidélium veneratióne cólitur.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Sermo sancti Máximi Epíscopi

Homil. 59, quæ est 2 de S. Eusebio Vercellensi

Lectio vi

AD sancti ac beatíssimi Patris nostri Magni, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est; síquidem virtútum ejus grátia, non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens; quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia et devotióne lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1º loco.

Lectio ix S. Joannis Eudes.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

PROPITIÁRE, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Magni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Joannis Eudes :

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEUS, qui beátum Jo-ánnem Confessórem tuum, ad cultum Sacrórum Córdium Jesu et Maríæ rite promovéndum mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Eclésia tua Famílias congregáre voluísti : præsta, quæsumus ; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis.

Deinde Octavæ :

Ant. Quæ est ista * quæ ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordinata ?

℣. Exaltáta est sancta Dei Génitrix. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna.

Oratio

FAMULÓRUM tuórum, quæsúmus, Dómine, delíctis ignósce : ut, qui tibi placére de áctibus nostris non valémus ; Genitrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur : Qui tecum.

Vesp. a Capit. de seq. et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum :

stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Propitiáre, ut supra.

Deinde S. Joannis Eudes :

Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio Deus, qui, ut supra.

Tandem Octavæ.

DIE 25 AUGUSTI

SANCTI LUDOVICI

REGIS, CONF.

Duplex majus

Omnia ut in Breviario.

In II Vesp. fit Com. seq. et S. Zephyrini Papæ ut infra.

DIE 26 AUGUSTI

SANCTI MARTIANI

ABBATIS

Duplex

(Aptæ, Duplex majus)

In II Vesp. præced. fit Com. S. Martiani :

Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit, ut supra.

Oratio

MAJESTÁTEM tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut sicut beátus Martiánus Abbas, tua adjuvánte poténtia, mórtuum ad vitam excitávit ; ita in nobis, tua vivificánte grátia, spiritálem resurrectiónem effíciat.

Deinde Com. S. Zephyrini Papæ :

Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus intende : et per beátum Zephyrínum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per.

In I et II Vesp., si dicendæ sint, dicitur Hymnus Ovosunánimes de Matutino. Ad Matutinum autem dicitur Hymnus de Laud. Quanta sit virtus usque ad Atria pandit, et in fine Nostra te summum. Ad Laudes vero incipitur Hymnus a Quæ dies tanto usque in finem.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Confessórum Dóminum* Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

O vos unánimes, Aptíadum chori,
Abbátis célebrem pángite glóriam ;
Concívem, pátriæ præsídium, decus
Lætis dícite cánticis.
Orbus conspícuis ille paréntibus,
Soli sponte Deo vívere cógitat :
Effúsis ópibus páuperis in sinum,
Duram paupériem docet.
Illi summa fuit glória déspici ;
Illi delíciæ lúdicra témnere ;
Ne mores vítium lædéret íntegros,
Sese prótinus ábdidit.
Addunt se cómites : hoc duce, sémitam
Currunt justítiæ pássibus æmulis ;
Ut te possídeant, quem sítiunt, Deus,
Vim cælo simul ínferunt.
Heu ! longo cúpidus supplício mori,
Quantis atténuat membra labóribus !
Somnos per gélidam carpit humum ; sua
Vix sunt pábula córpori.
Pulsat perpétuis quéstibus æthera,
Instat, cum lácrimis ingéminat preces ;
Hæc vis grata Deo ; sic amat óptimus
Vinci per gémitus Pater.
Suprémus sit honos ingénito Patri ;
Sit par unígenæ glória Fílio ;
Æternóque sacrum Spirítui melos
Tellus ástraque cóncinant. Amen.

In II Nocturno

Lectio iv

MARTIÁNUS Saniómne in Província piis paréntum précibus concéssus, Dómino statim ab ipsis

consecrátus est. Quibus adoléscens orbátus, amplo divéndito património, ejúsque prétio paupéribus distribúto se totum rerum cæléstium contemplatióni dedit. Evangélicæ vero perfectiónis stúdio incénsus, monastérium in território Saniónis magna ex parte própriis mánibus ædificávit, adjúnctis sibi quibúsdam sóciis severiórem sancti Benedícti régulam profétssus est. Abbas factus, se ipsum mónachis exímiæ sanctitátis præbuit exémplar. Mira in eo elucébat sénsuum custódia, contémptus mundi singuláris, religiósæ paupertátis amor præcípuus, oratiónis indeféssum stúdium, ad quarum virtútum perfectiónem verbo et exémplo suo quotídie incitábat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

SÍNGULIS hebdómadis Apténsem basílicam visitáre solémne hábuit, ubi rei sacræ ádeo eréecta in Deum mente solébat adésse ut extra se rapi viderétur. Inde quæ univérsis quibus præerat mónachis ad vitam necessária erant, ostiátim ipse emendicábat. Quam vivéndi consuetúdinem, quamquam vigíliis, jejúniis, aliísque córporis afflictatiónibus attrítus, ac pene confectus, toto vitæ témpore constánter retínuit ; eámque sibi acceptíssimam esse miráculo Dóminus comprobávit. Nam cum in subúrbio Apténsi ostiátim sólito more collígeret, mórtuum adolescéntem signo crucis revocávit ad vitam, illúmque víduæ matri restítuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

ATQUE hoc humilitátis páriter ac paupertátis ministérium cum

aliquándo, æstáte fervidíssima civitátem circumfusásque lóngius villas concursándo obivísset, suúmque monastérium pia eleemosynárum sárcina onústus ex more repéteret, víribus plane exháustus, seu súbita vi morbi corréptus, médio fere in itínere occúbuit ; et sub quadam cóncava rupe, quæ étiam nunc sancti Martiáni petra vocátur, omni humáno auxílio destitútus obdormívit in Dómino. Cujus pretiósum óbitum promulgásse tráditur sponte emíssus campanárum ómnium ad tria milliária festívus sónitus, nec non émicans cæléstis quidam e mórtuo córpore splendor. Sanionénsibus beáti Abbátis exúvias sibi vindicántibus, corpus in monastérium asportáre conátis, cum immóbile prorsus permansísset, ab epíscopo et clero in Aptén-sem basílicam solémni pompa illátum est ; ubi plúrimis miráculis clarum, summa veneratióne cólitur ; cujus et præséntem in váriis necessitátibus opem non semel expérta est Aptén-sis cívitas.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct., Homil. in Evang. Ecce nos, de Comm. Abbat. 3° loco.

Lectio ix S. Zephyrini.

AD LAUDES

Capit. Eccli. 31, 8-9

BEÁTUS vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum ? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus

QUANTA sit virtus tua, Martiáne !
Apta conclámat veneráta nomen :
Quod tibi sacri recinúntur hymni,
Plaudit Olympus.
Flore sub primo víridis juvéntæ,
Grande virtútis spécimen dedísti ;

Te diu multa prece postulárat
Mater ad aras.
Páuperis Christi decus æmuláris :
Te bonis ultro spólias patérnis :
Véndito fundo, Deus in recéssu
Fit tibi fundus.

Laudis irrépat mala ne cupído,
Hirta quæ setis riget atque ferro,
Jam fatiscéntes lacerábat artus
Intima vestis.

Illa quæ virtus stúduit latére,
Nota porténto magis emicábit :
Luce defúnctum vocat ad prióris
Múnera vitæ.

Sat datum terris : tua nunc in astris
Te gravem virtus méritis repóscit ;
Mors venit præpes ; tibi clara Numen
Atria pandit.

Quæ dies tanto celebráta cultu ?
Cívitas dulces júbilat per hymnos,
Inclytum supplex petit et beáto
Fúnere collem.

Hinc venit sanctam pietas in ædem :
Sacra concívis veneratur ossa ;
Quisquis hic orat, sibi mox probábit
Numen amícum.

Prisca, qua fulsit pietáte vivus,
Illa nunc seclo redivíva surgat :
Quos adhuc servat cinis, hic sepúltos
Súscitet ignes.

Qui fuit zelus tibi, Martiáne,
Hunc, licet vectus super astra, serves
Et tuam, nostræ bone tutor urbis,
Réspice gentem.

Hoc Deo cives posuére templum,
Quod tuum dicet sine fine nomen :
Jure te civem vocat et patrónum
Civis et hospes.

Nostra te summum célebrent Paréntem
Ora, te summum Génitum parénte :
Par sit ambórum tibi laus per omne,
Spíritus, ævum. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.
℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

MAJESTÁTEM tuam, Dómine, suppliciter exorámus, ut sicut beátus Martiánus Abbas, tua adjuvánte poténtia, mórtuum ad vitam excitávit; ita in nobis, tua vivificánte grátia, spiritálem resurrectiónem effíciat. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Zephyrini.

Vesp. a Capit. de seq., et fit Com. præced., ac S. Josephi Calasanctii Conf., ut infra.

DIE 27 AUGUSTI

SANCTI CÆSARII
ARELATENSIS EP. ET CONF.

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Cæsárii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per.

Et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Majestátem, ut supra.

Deinde S. Josephi Calasanctii :

Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio

DEUS, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es : præsta, quæsu-

mus ; nos, ejus exémplo et intercessióne, ita fácere et docére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

CÆSÁRIUS, Cabelliónе claro génere ortus, in ínsula Lirinénsi sub Porchário abbáte mónachus, ita per jejúnia, vigílias et orándi stúdium vires córporis attrívit, ut Arelátem, valetúdinis recuperándæ causa, missus fúerit. Illic cum Œónio Arelaténsi antístite junxit consuetúdinem, et ab ipso ad sacerdótium est evéctus, Arelatensíque Ecclésiæ adscríptus. Mórtuo Œónio in ejus locum, invítus licet et relúctans sufféctus est. Quo in múnere omnes óptimi pastóris partes egrégie adimplévit. Tértiæ, Sextæ et Nonæ offícia, in basílica sua instítuit ; laicósque hortabátur Dei laudes in ecclésia cánere, ut eos a fábulis avocáret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

TER apud reges Gothos proditiónis accusátus, ac tóties in exsílium et in cárcerem missus, ter, innocéntia ejus comprobáta, absolútus est et ad ecclésiam suam remíssus. In hac síngulis fere diébus prædicábat ; áliis vero ecclésiis homilías pópulo recitándas suppeditábat. Páuperum et afflictórum misérias subleváre numquam déstitit ; captivísque rediméndis sacram étiam supelléctilem distráhere non dubitávit. Vírginum cœnóbium Areláte constrúxit, cui sapientíssimam régulam præscrípsit. A Symmácho Papa, qui eum Romam invitáverat, humaníssime excéptus est, et pállii dignitáte auctus.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

PLÚRIBUS intérfuit præfuítque conciliis, imprímis Arausicáno secúndo, in quo interália definítum est, quod si quis sicut augméntum, ita étiam inítium fídei ipsúmque credulitátis affféctum naturáliter nobis inésse dicat, apostólicis dogmátibus adversári comprobétur. Scripsit Cæsárius librum de Grátia Dei et líbero arbítrio, advérsus sententiam Fausti Regiénsis, et in Scriptúram enarratiónes et homilías, cum epístolis super vária rerum divinárum arguménta. Demum, exáctis in pontificátu annis quadragínta, prídie festum sancti Augustíni, ut se et optáre et speráre díxerat, e vivis excéssit, anno ætátis septuagésimo tértio, Christi quingentésimo quadragésimo secúndo, et in basílica sanctæ Maríæ sepúltus est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

Lectio ix S. Josephi Calasanctii.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Cæsárii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Josephi Calasanctii :

Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEUS, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es : præsta, quæsumus ; nos ejus exémplo et intercessióne, ita fácere et docére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Vesp. a Capit. de seq., et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Da, quæsumus, ut supra.

Deinde S. Josephi Calasanctii :

Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio Deus, qui per sanctum, ut supra.

Tandem S. Hermetis Mart. :

Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

DEUS, qui beátum Hermétem Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti : ex ejus nobis imitatióne tríbue ; pro amóre tuo próspera mundi despícere et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

DIE 28 AUGUSTI

SANCTI AUGUSTINI

EP. ET CONF.

Duplex

In Ecclesia Metropol. : Duplex majus

Omnia ut in Breviario.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE 2 SEPTEMBRIS

SANCTI AGRICOLI

AVENIONENSIS EP. ET CONF.

Duplex majus

In Civitate Avenionensi:

Duplex I classis cum Octava communi.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Surge, Avénio, * et gaude, quia glória Agrícoli hódie circumfúlsit te.

Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

2 Unxit eum * Dóminus óleo lætítiæ, præ consórtibus pópuli sui.

3 Nos sumus * oves ejus : ipse portávit nos in viscéribus Christi.

4 Benedícite, cæli, * Dómino ; roráte ad Agrícoli impérium.

5 Ecce quem * laudant Angeli, cujus pópuli ossa venerántur.

Capit. Eccli. 50, 4-5

ECCE Sacérdos magnus, qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne : qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

Hymnus

QUEM cælis célebrant ágmina Cælitum,
Quem terris résonant ora fidélium,
Felix Avénio, Pontificem tuum,
Civem noscéque fílium.

Jam te summa beat glória Núminis :
Menti, totus amor, se Deus éxplicat ;
Aris relíquiæ lampádibus nitent,
Sacris est honor óssibus.

Urbis tu cólumen rebus in árduis :
Imbres sponte fluunt arbítrio tui,
Messes terra parit, vínea gérminat,
Cum tu núbibus ímperas.

Vastant innúmeræ rura cicóniæ,
Urbem pestíferis ánguibus ínquinant ;
Has jussu rémoves : múnere quo Patris
Jam nunc nóvimus álites.

Sævit, falsa vomens, hæresis ímpia,
Tentat per cúneos glíscere per gregem :
Nobis tu vígilas, mœnia prótegis,
Miris et fácibus fugas.

Trino uníque Deo perpétuum decus,
Qui nunc Agrícolum contúitu beat :
Ac nos cælítibus cívibus ínserat
Cives qui Pátriæ sumus. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Agrícole. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Hódie Agrícolus* cælos ascéndit; hódie sancta per urbem agúntur solémnia; lætétur terra nostra, natalítiis ejus gloriósa.

Oratio

DEUS, qui nobis beátum Agrícolum Confessórem tuum atque Pontíficem, concívem et patrónum dedísti; concéde propítius, ita nos ejus sequi vestígia in terris, ut ipsíus concíves esse mereámur in cælis. Per Dóminum.

In Diœcesi Com. S. Stephani Conf. et Complet. Feriæ.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Regem, hódie in cælis coronántem Agrícolum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

UMBRÆ diffúgiunt, súrgimus ócius;
Illábens ténebris provéhitur dies:
Plaudant Agrícolo cántibus Angeli,
Sanctum dum cánimus melos.

Magni progénies, Albíadum genus,
Mundi delícias ábjicit, et fugit,
Virtútum rétinens sémina, quæ Pater
Imis córdibus ínserit.

Fama stat pélago nóbilis Insula,
Qua sanctos áluit Gállia præsules:
Has sedes hábitant relígio, fides;
Illuc ímpiger ádvolat.

Quo te, Sancte? tuos síccine déseris?
Votis Avénio te vocat, éxpetit,
Illústras méritis, et précibus foves:
Ad nos tu cítius redi.

Clero mox óculus præfícitur redux;
Thesáuros áperit paupéribus sacros,
Commíssas víduas pascit, et ínteger
Prælúdit modo Póntifex.

Trino uníque Deo perpétuum decus
Qui nunc Agrícolum contúitu beat:
Ac nos cælítibus cívibus ínserat,
Cives qui Pátriæ sumus.

Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 In lege Dómini * meditátus est die ac nocte.

Pss. ut in Comm. Conf. Pont.

Ant. 2 Ego autem * constitútus sum a Dómino, ut prædicárem præcéptum ejus.

Ant. 3 Super pópulum meum * sit benedíctio tua, Dómine.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio i Cap. 3, 1-7

FIDÉLIS sermo : Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum ; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit ? Non neóphytum, ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Exsúltat gáudio pater justi : * Qui sapiéntem génuit, lætábitur in eo. ℣. Gáudeat pater tuus et mater tua, et exsúltet terra quæ génuit te. Qui.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1, 7-11

OPÓRTET enim epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum ; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Suut enim multi étiam inobediéntes, vaní-

loqui et seductóres : máxime qui de circumcisióne sunt : quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Egrédere de terra tua, et de domo patris tui : * Et veni in terram quam monstrávero tibi. ℣. Hæc réquies mea in sæculum sæculi : hic habitábo, quóniam elégi eam. Et.

Lectio iii Cap. 2, 1-8

TU AUTEM lóquere quæ decent sanam doctrínam : Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Mórtuus est Pater ejus, et quasi non est mórtuus ; * Símilem enim relíquit sibi post se. ℣. In vita sua vidit, et lætátus est in illo ; in óbitu suo non est contristátus. Símilem. Glória Patri. Símilem.

In II Nocturno

Ant. 4 Sacrificávit * sacrifícium justítiæ, et sperávit in Dómino.

Ant. 5 Ad te orábo, * Dómine ; mane exáudies vocem meam.

Ant. 6 Constituísti eum * super ópera mánuum tuárum : ómnia subjecísti sub pédibus ejus.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Lectio iv

AGRÍCOLUS ex nóbili Albiénsium família oriúndus, circa annum salútis trigésimum supra sexcentésimum, Avenióne natus est. Ab ipsa pueritia

lac pietátis hausit. Mira in eo elucébat innocéntia morum, quasi natívus ad pietátem ardor. Ejus pater fuit beátus Magnus, hujus póstea civitátis epíscopus; mater, Gandaltrúdia, sive Augustadíala; avus vero Albínus, unus ex Provínciæ magnátibus. Patris edóctus exémplis, ætáte et sapiéntia crevit; ac vix décimum quartum annum agens, in Lirinénse se cóntulit cœnóbium, eo témporis austerióris vitæ observántia celebérrimum. Religiósæ vitæ ibi tirocínia pósuit, die noctéque cæléstium meditatióni ac stúdio litterárum incúmbens. Sacris initiátus, Avenionémque revérsus, primum archidiáconi múnere decorátur; quod ádeo perfécte explévit, ut eum jam episcopáli dignum honóre, clerus et pópulus, quasi divíno præságio, judicárent.

℣. Exaltavérunt eum in ecclésia plebis, * Et in cáthedra seniórum posuérunt eum. ℣. Fecit quod plácitum erat Dómino, et ambulávit per mones vias Patris sui, Et.

Lectio v

Ecclésiæ Avenionénsi præerat tunc beátus Magnus. Hic, urgénte jam sénio, cum sibi coadjutórem dari postuláret, ingénti animórum consénsu, ad id múneris Agrícolus elígitur. Qui tanta suavitáte oves commíssas cœpit régere, ut páuperum pater, ecclesiásticæ disciplínæ custos, fídei vindex, Dei verbo instans, bonórum óperum ómnibus præbéret exémplum. Sanctíssimi Præsulis institútis, ádeo crevit pópuli in Deum fervor ut jam fidélium multitúdinem cathedrális ecclésiæ spátia non cáperent. Aliam intra muros urbis, própriis súmptibus ædificávit, suo hódie nómine insignitam, reliquiísque nobilitátam. Huic ecclésiæ ánnuos rédditus assignávit, ac mónachis e Lirinénsi ínsula accersítis, unum ex his præfécit abbátem. Prætérea, ab altérnis divínum offícium recitándi ritum, in sua

ecclésia instituit. Quem morem, Romæ paulo ante introdúctum, Pépinus rex in Gálliam invéxit, cum Avenióne dudum ántea per Agrícolum viguísset.

℟. Annuntiávi, et locútus sum verbum Dómini; * Et multiplicáti sunt super númerum. ℣. Ædificávit templum Dómino : elégit locum istum et sanctificávit illum, ut sit nomen ejus in sempitérnum. Et.

Lectio vi

His ómnibus præcláre gestis, sibi últimum diem instáre sensit. Memor ergo hujus Dómini Jesu (máxime ad omnes qui præsunt) sententiæ : Beátum scílicet fore servum illum quem Dóminus invénerit vigilántem, sibi et pópulo cœpit impénsius studére, jejúnia, oratiónes sólito frequentióres ádhibens. Augustíssimum altáris sacrifícium pro se offérri vóluit, ánnuos provéntus assígnans, ut quotídie in episcopáli ecclésia, ad salutárem ipsíus ánimæ expiatiónem, Missa solémnis celebrarétur. Patris vestígia premens, successórem sibi eligéndum curávit, sanctum Veredémum, magna virtútis opinióne virum. Demum ferme móriens, servis plena libertáte donátis, bonis ómnibus Ecclésiæ testaménto relíctis, cúpiens dissólvi, pópulo carus, matúrus Deo, placidíssime ánimam efflávit quarto Nonas Septémbris, anno Dómini septingésimo exeúnte, ætátis suæ septuagésimo, íniti pontificátus quadragésimo.

℟. Placens Deo factus est diléctus : * In terris visus est ut esset exémplo ; in cælum levátus est, ut sit patrocínio. ℣. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. In. Glória Patri. In.

In III Nocturno

Ant. 7 Operátus est * justítiam : requiéscet in monte sancto tuo.

Ant. 8 Prævenísti eum * in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Ant. 9 Hæc est generátio * quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

In illo témpore : Dixit Jesus pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 14 in Evang.

Audístis, fratres caríssimi, ex lectióne evangélica, eruditiónem vestram ; audístis et perículum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidénti dono, sed essentiáliter bonus est, dicit : Ego sum pastor bonus. Atque ejúsdem bonitátis formam quam nos imitémur adjúngit dicens : Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit, osténdit quod jussit. Bonus pastor, pro óvibus suis ánimam suam pósuit ut in sacraménto nostro corpus suum et sánguinem vérteret, et oves, quas redémerat, carnis suæ aliménto satiáret.

℟. Amplificátus est in mirabílibus suis : mirabília operátus est in vita sua ; * Et ossa ipsíus post mortem prophetavérunt. ℣. Imperávit ávibus cæli ; orávit, et cælum dedit fructum suum. Et.

Lectio viii

Osténsa nobis est de contémptu mortis via quam sequámur ; appósita est forma, cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere : postrémum vero si necésse sit, étiam mortem nostram, pro eísdem óvibus, ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus ; sed cum incomparabíliter longe sit mélior ánima qua vívimus, quam terréna substántia quam extérius possidémus : qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando

pro his datúrus est ánimam suam ?

℟. Filíoli, quemádmodum accepístis a nobis quómodo vos opórteat ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis. * Imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi. ℣. Opus meum vos estis in Dómino ; vos enim glória nostra et gáudium. Imitatóres. Glória Patri. Imitatóres.

In diœcesi Lectio ix S. Stephani.

In civitate :

Lectio ix

Et sunt nonnúlli, qui dum plus terrénam substántiam quam oves díligunt, mérito nomen pastóris perdunt ; de quibus prótinus súbditur : Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenárius vocátur, qui non pro amóre íntimo oves Domínicas, sed ad temporáles mercédes pascit. Mercenárius quippe est, qui locum quidem pastóris tenet, sed lucra animárum non quærit ; terrénis cómmodis ínhiat, honóre prælatiónis gaudet, temporálibus lucris páscitur, impénsa sibi ab homínibus reveréntia lætátur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Surge, Avénio, * et gaude, quia glória Agrícoli hódie circumfúlsit te.

Pss. de Dominica.

2 Unxit eum * Dóminus óleo lætítiæ, præ consórtibus pópuli sui.

3 Nos sumus * oves ejus : ipse portávit nos in viscéribus Christi.

4 Benedícite, cæli, * Dómino ; roráte ad Agrícoli impérium.

5 Ecce quem * laudant Angeli, cujus pópuli ossa venerántur.

Capit. Eccli. 50, 4-5

Ecce Sacérdos magnus, qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne : qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

Hymnus

Nobis lux óritur, sol micat ígneus :
Festívum, pópuli, dícite cánticum ;

Apténtur sóciis órgana vócibus,
Et dulci résonent sono.
Mox in pontíficem Magnus inúngitur,
Et, plenus méritis, æthéreos subit ;
Sacris indúitur fílius ínfulis,
Heres proméritus patris.
Mirum, quo pópulos império regit !
Noscit Pastor oves, móribus ínstruit,
Exémplis révocat, nocte, die, vigil ;
Christo filíolos parit.
Crescit sancta fides, plebs nova náscitur ;
Templi tunc Dómino mœnia cónsecrat,
Auget reddítibus, ditat, et ínscius
Templum jam sibi præparat.
Proh mæror ! rápitur Præsul amábilis,
Pastor delíciæ, Pastor amor gregis :
Cælum mox pénetrans, in súperum choros
Felix spíritus évolat.
Trino uníque Deo perpétuum decus,
Qui nunc Agrícolum contúitu beat ;
Ac nos Cælítibus cívibus ínserat
Cives qui Pátriæ sumus. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Agrícole. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Ant. Super spéculam * Dómini ego sum stans júgiter per diem ; et super custódiam meam ego sum, stans totis nóctibus.

Oratio

DEUS, qui nobis beátum Agrícolum, Confessórem tuum atque Pontíficem, concívem et patrónum dedísti ; concéde propítius, ita nos ejus sequi vestígia in terris, ut ipsíus concíves esse mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Stephani.

AD HORAS

Ant. et Pss. Feriæ.

Avenione : Ant. de Laud. Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capit. Eccli. 50, 4-5

ECCE Sacérdos magnus qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne : qui præ-

váluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et. Glória Patri. Amávit.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

AD SEXTAM

Capit. Eccli. 44, 20 et 22

NON est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi : ídeo jurejúrándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

℟. br. Elégit eum Dóminus * Sacerdótem sibi. Elégit. ℣. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdótem sibi. Glória Patri. Elégit.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

AD NONAM

Capit. Eccli. 45, 19-20

FUNGI sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

℟. br. Tu es sacérdos * In ætérnum. Tu es. ℣. Secúndum órdinem Melchísedech. In ætérnum. Glória Patri. Tu es.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Surge, Avénio, * et gaude, quia glória Agrícoli hódie circumfúlsit te.

Pss. de Dom., sed loco ultim., Ps. 131 Meménto, Dómine David.

2 Unxit eum Dóminus * óleo lætítiæ, præ consórtibus pópuli sui.

3 Nos sumus * oves ejus : ipse portávit nos in viscéribus Christi.

4 Benedícite, cæli, * Dómino ; roráte ad Agrícoli impérium.

5 Ecce quem laudant * Angeli, cujus pópuli ossa veneránturr.

In diœcesi a Capit. de seq. ut infra.

In civitate :

Capit. Ecce, ut supra ad Tertiam.

Hymnus

QUEM cælis célebrant ágmina Cælitum,
Quem terris résonant ora fidélium,

Felix Avénio, Pontíficem tuum,
Civem noscéque fílium.
Jam te summa beat glória Núminis :
Menti, totus amor, se Deus éxplicat ;
Aris rellíquiæ lampádibus nitent,
Sacris est honor óssibus.
Urbis tu cólumen rebus in árduis :
Imbres sponte fluunt arbítrio tui,
Messes terra parit, vínea gérminat,
Cum tu núbibus ímperas.
Vastant innúmeræ rura cicóniæ,
Urbem pestíferis ánguibus ínquinant ;
Has jussu rémoves : múnere quo Patris
Jam nunc nóvimus álites.
Sævit, falsa vomens, hæresis ímpia,
Tentant per cúneos glíscere per gregem :
Nobis tu vígilas, mœnia prótegis,
Miris et fácibus fugas.
Trino uníque Deo perpétuum decus,
Qui nunc Agrícolum contúitu beat :
Ac nos cælítibus cívibus ínserat
Cives qui Pátriæ sumus.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Agrícole. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Hic est * sacérdos Altíssimi, qui pro pópulo suo semper orat ad Dóminum, et in témpore tribulatiónis factus est reconciliátio.

Oratio

DEUS, qui nobis beátum Agrícolum, Confessórem tuum atque Pontíficem, concívem et patrónum dedísti ; concéde propítius, ita nos ejus sequi vestígia in terris, ut ipsíus concíves esse mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. seq. tantum, ut infra.

Complet. de Dom.

DIE 3 SEPTEMBRIS

Bb. JOANNIS CAPEAU et SOC.

MARTYRUM

Duplex majus

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

DEUS, qui Joánnem, Ludovícum, Joánnem et Petrum, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martyrii palma decorásti : eórum précibus concéde ; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

In Diœc. Com. S. Agricoli, ut supra, et S. Stephani.

In II Nocturno

Lectio iv

LABÉNTE sæculo décimo octávo, Gállica perturbátio efferátum ódium in veram Christi Ecclésiam, ejúsque minístros civílem cleri constitutiónem fórtiter improbántes, singulárem in modum concitávit. Centum nonagínta unus viri, fidelitátem ac reveréntiam erga sanctam Románam Ecclésiam strénue serváre satagéntes, Parísiis, mense Augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, ab usurpatório civitátis gubérnio, persecutiónem patiéntes, in quátuor cárceres violénter conjécti, miris pietátis et caritátis exercítiis diébus Septémbris ejúsdem anni, ibídem illústri martyrio occubuérunt. In convéntu Carmelitárum discalceatórum, Joánnes María du Lau, archiepíscopus Arelaténsis, simúlque duo fratres Francíscus Joséphus et Petrus Ludovícus de la Rochefoucauld, unus Bellovacénsis, alter vero Santonénsis epíscopus, exémplum et solátium in advérsis dedérunt suis sóciis quorum plúrimi, ad vitándas persecutiónes quibus erant obnóxii, ex ómnibus Gálliæ pártibus Parísios confúgerant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis suis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine

impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra appáruit árida, et in Maria Rubro via sine impediménto.

Lectio v

PÁRITER in Seminário Sancti Firmíni, venerábilis rector Ludovícus Joséphus François, sancti Vincéntii a Paulo discípulus, plurésque doctóres et sacrárum Facultátum magístri, solámen animúmque sacerdótibus fidélibus áddere non cessárunt. In Abbátia Sancti Germáni a Pratis, et in ergástulo dicto « la Force », postrémis mensis Augústi diébus, áliquot presbyteri numerósis commíxti sunt láicis ; quibus illi ad imminéntem jam necem consolatiónes atque subsídia sacræ religiónis conférre studuérunt. Inter illos sacerdótes speciáli mentióne dignus est párochus ecclésiæ Sancti Joánnis *en Grève*, Marcus Ludovícus Royer, parochórum civitátis decánus. Hic, postquam sacram absolutiónem céteris dedísset, primus impetítus, et apertíssime prófitens se numquam scelestíssimum juraméntum præstitísse, intrépido ánimo supplícium tolerávit.

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio vi

SERVÓRUM Dei relíquiæ, atrócem in modum violátæ omníque vestiménto spoliátæ, in commúnes tumbas, divérsis in locis jam ántea parátas, projéctæ fuérunt. In convéntu autem Carmelitárum, cujus templum jam dudum Ecclésia Mártyrum vulgo dicebátur, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, plura ossa invénta sunt in púteo obstrúcto, non longe ab Oratório beátæ Maríæ Vírginis, in quem injéctæ fúerant quædam victimæ in horto necátæ. Curánte Geórgio Archiepíscopo, inde in cryptam Ecclésiæ transláta sunt, ubi religióse fuérunt asservata.

In pariétibus vero legúntur inscrípta ómnium Servórum Dei nómina qui in prædícto convéntu sunt percúlsi. Hic autem locus, sæpius per annum, diébus præsértim anniversáriis martyrii, a multis peregrínis frequentátur. Illos omnes invíctos Christi mártyres Pius Papa undécimus, anno millésimo nongentésimo vicésimo sexto, fastis Beatórum solémniter adscrípsit. His adnumerándi sunt Mártyres Joánnes Capeau, Ludovícus Barret, Joánnes Seguin et Petrus Vitális, e diœcési Avenionénsi.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos ; et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homil. in Evang. Cum audiéritis, de Comm. plur. Mm. 1° loco.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEUS, qui Joánnem, Ludovícum, Joánnem et Petrum, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martyrii palma decorásti : eórum précibus concéde ; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dm̃.

In Civitate Avenionensi fit Com. Oct. S. Agricoli.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti ; et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio ut supra.

In Civitate fit Com. Oct.

INDEX

PARS ÆSTIVA

27 Maji. — S. Eutropii Ep. et Conf., *dupl.* Arausicæ, *dupl. I cl. cum Oct. comm.* 3
30 — — S. Joannæ de Arc Virg., *dupl. II cl.* 7
3 Junii. — S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *dupl.* 7
17 — — S. Veredemi Ep. et Conf., *dupl.* 7
22 — — S. Consortiæ Virg. Com. 10
28 — — S. Irenæi Ep. et Mart., *dupl.*. 10
3 Julii. — B. Petri a Luxemburgo Conf., *dupl.* Avenione, *dupl. maj.* 17
9 — — Bb. Iphigeniæ et Soc. Vv. et Mm., *dupl. maj.* 22
19 — — S. Vincentii a Paulo Conf., *dupl. maj.* . . . 25
22 — — S. Mariæ Magdalenæ Pœnit., *dupl. maj.* . . 26
26 — — S. Annæ Matris B. Mariæ Virg., *dupl. II cl.* . 26
Aptæ, *dupl. I cl. cum Oct. comm.* . . . . . .
29 — — S. Marthæ Virg., *dupl. maj.* 35
2 Augusti. — S. Auspicii Ep. et Mart., *dupl.* Aptæ, *dupl. II cl.* 45
8 — — S. Joannis Mariæ Vianney Conf., *dupl.* . 57
15 Augusti. — Assumptio B. Mariæ Virg., *dupl. I cl. cum Oct. comm.* 57
16 — — S. Rochi Conf. Com. 57
18 — — S. Rusticulæ Virg., *dupl* 58
19 — — S. Magni Ep. et Conf., *dupl.* 61
25 — — S. Ludovici Regis, Conf., *dupl. maj.* . . . 65
26 — — S. Martiani Abb., *dupl.* Aptæ, *dupl. maj.* 65
27 — — S. Cæsarii Ep. et Conf., *dupl.* 70
28 — — S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct., *dupl.* In Eccl. Metropol. : *dupl. maj.*. 73
2 Septembris. — S. Agricoli Ep. et Conf., *dupl. maj.* In civitate Avenion. : *dupl. I cl. cum Octava communi.* . 73
3 — — Bb. Joannis Capeau et Soc. Mm., *dupl. maj.*. 84

Imprimatur.

Turonibus, die XII Aprilis MCMXLIX.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS

ARCHIEPISC. TURON.

Imprimé en France.

852-1949. — Turonibus, typis Mame.

DÉPÔT LÉGAL : 2e trimestre 1949.

In II Vesperis nulla fit Com.

DIE 9 AUGUSTI

(d. a. ex 4 hujus)

S. JOANNIS MARIÆ VIANNEY

CONFESSORIS

Duplex

In I Vesperis, si dicendæ sint :

Ad Magnif. Ant. Suscitábo mihi * Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet, et ædificábo ei domum fidélem.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

JOÁNNES María Viánney, in pago Dardílly, Lugdunénsis diœcéseos, piis rurícolis ortus, ab infántia visus est divíno consílio vocátus, ut Apóstoli munus aliquándo expléret. Illi mos erat, cum octénnis oves custodíret, modo puérulos, ad imáginem Deíparæ genufléxos, Rosárium verbo et exémplo edocére, modo soróri vel álteri commísso grege, secretiórem lucum pétere, quo expedítior oratióni vacáret. Agris coléndis addíctus, æquáles suos, si quid minus casti audíret, suáviter redarguébat, aut seórsum glebas vertens, de cæléstibus meditabátur, et, ne mens inter laborándum a contemplatióne avocarétur, simulácrum quoddam Vírginis præ se collocábat. Páuperum amantíssimus, in delíciis habébat eos turmátim in patris domum dedúcere, cibo donáre, accénso igne refovére, ignáros vero nisi fídei Sýmbolum erudítos non dimittébat. Mirábilis in eo morum candor, constans in immaculátam Dei Matrem observántia, ardens in Eucharístiam píetas et cultus. Hinc sacérdos palam ab ómnibus prædicabátur futúrus. Lítteris imbuéndus párocho vici Ecúlly tráditus est ; sed ut erat tardióris ingénii, magnas in stúdiis ac pæne insuperábiles expértus est difficultátes. Jejúnio et oratióne divínam opem íterum atque íterum implorávit : et facilitátem discéndi rogatúrus, túmulum sancti Francísci Regis, stipem quæritans,

ádiit. Neque eum pia spes feféllit : nam, theologicárum disciplinárum currículo operóse confécto, satis idóneus invéntus est qui sacris initiarétur.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

In pago Ecúlly, præeúnte párocho, cujus vicárius renuntiátus fúerat, potióres pastorális perfectiónis gradus attíngere totis víribus conténdit. Elápso triénnio, in vículum Ars, qui non ita multo post diœcési Bellicénsi adscríptus est, quasi Angelus de cælo fuit missus. Illic fídei rudiménta passim ignorabántur ; templum Dei prope desértum squalébat ; obsoléverat Sacramentórum usus ; violátus Dómini dies ; assíduus choreárum ludus, et magna in caupónis frequéntia. Animos non despóndit strénuus pastor : oppidános síngulos peramánter invísit, pópulo verba facit tanto erga Deum amóre, ut ipse primus, auditóres deínde lácrimas effúndant ; ecclésiæ suum reddit honórem, frequéntem Eucharístiæ usum ínvehit, pias sodalitátes instáurat. Tutándis puéllis pene derelíctis hospítium, cui nomen a Providéntia, ædíficat, et ópibus intérdum divínitus tráditis ínstruit : pro utriúsque sexus púeris scholas éxcitat, téneram in immaculátam Vírginem et in beátam Philuménam ánimis pietátem indit, atque id brevi conséquitur, ut felix ille vículus virtútum ómnium palæstra a cunctis habeátur. Ratus autem pastóris esse flagítia concréditæ plebis expiáre, neque oratiónibus parcébat, neque vigíliis et maceratiónibus. Noctu super nudos ásseres, duas vel tres horas non sine curis dormiébat : ad tres dies haud raro jejúnia protrahébat ; famémque tenuíssimo cibo, sitim autem aquæ cýatho explébat ; caténa férrea cilício, flagris carnem quo-

tídie cruentábat. Eadem faciébat arctíssima ejus paupértas. Si quid obsónii electióris, si quid argénti vel doméstícæ supelléctilis habéret, ómnia in páuperes erogábat. Tantam viri Dei virtútem cum Satan ferre non posset, eum calúmniis primum, dein apérto certámine adórtus est; sed atrocíssimas vexatiónes patiénter tolerábat Joánnes María, qui experiéndo didícerat majóres fíeri diabólicos incúrsus, cum ad Pæniténtiæ tribúnal perditíssimi adventárent peccatóres.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

QUOD in paróecia sua perfécerat, idípsum in finítimis molítus est. Invitabátur enim a curiónibus vicínis ut, Missionariórum more, animárum salúti qua concionándo, qua confessiónes excipiéndo consúleret, et síngulis præsto semper erat. Quin et stúdio glóriæ Dei incénsus effécit, ut pia Missiónum exercítia in ámplius centum paróeciis, constitúto censu perpétuo, institúerit, manípulos messúrus et in iis, quas lustráre ipse non póterat, regiónibus. Inter hæc, Deo servum suum miráculis et charismátibus illustránte, orta est célebris illa peregrinátio, qua, per vicénnium, centum fere míllia hóminum, cujúsque órdinis et ætátis, quotánnis Ars confluxérunt, non solum ex Gálliæ et Európæ, sed étiam Américæ dissitíssimis provínciis. Trahebántur enim, tum stúdio viséndi sacerdótem supérnis donis ditátum, íntimas ánimi scrutántem látebras, futúra prænoscéntem, prodígia plúrima operántem; tum ánimo consíliis ejus uténdi et præsértim cordis sui plagas in Pæniténtiæ sacraménto detegéndi. Totus erat Joánnes María in conscéntiis judicándis moderandísque; quo in múnere, cibi, somni et quiétis ímmemor, septémdecim horas quotídie

terébat, nullo ad vacándum die interpósito. Cum autem humíllime de se sentíret, bis sancto fidélium desidério se subdúcere frustra tentávit. Dénique fortis miles pugnándo cécidit ; et labóribus pótius quam sénio consúmptus, mortis suæ prænuntiáto témpore, placidíssime in ósculo Dómini quiévit die quarta Augústi, anno reparátæ salútis millésimo octingentésimo quinquagésimo nono. Quem multis clarum miráculis, Pius décimus inter beátos, Pius vero undécimus inter sanctos Cælites anno sacro adscrípsit, ejúsque festum ad univérsam Ecclésiam exténdit, anno vero quinquagésimo sacerdótii sui ómnium parochórum cæléstem Patrónum constítuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 9, 35-38

IN ILLO témpore : Circuíbat Jesus omnes civitátes et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

In Matth. 9

CERNIS quod æquáliter et villis et úrbibus et castéllis, id est, et magnis et parvis Evangélium prædicáverit, ut non consideráret nobílium poténtiam, sed salútem credéntium. Circuíbat civitátes, hoc habens óperis quod mandáverat Pater, et hanc esúriem, ut doctrína sua salvos fáceret infidéles. Docébat autem in synagógis et villis Evangélium regni : et post prædicatiónem atque doctrínam curábat omnem languórem et omnem infirmitátem ; ut quibus sermo non suáserat, ópera persuadérent.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et de omni corde suo laudávit Dóminum : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

VIDENS autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Vexátio gregis et óvium atque turbárum, pastórum culpa et vítium magistrórum est. Unde séquitur : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Messis multa, populórum significat multitúdinem : operárii autem pauci, penúriam magistrórum. Et ut apértius loquar, messis multa, omnis turba credéntium est. Operárii autem pauci, et apóstoli, et imitatóres eórum, qui mittúntur ad messem.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arléntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

ET CONVOCÁTIS duódecim discípulis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos, et curárent omnem infirmitátem. Benígnus et clemens Dóminus ac magíster non ínvidet servis atque discípulis virtútes suas. Et sicut ipse curáverat omnem languórem et omnem infirmitátem, Apóstolis quoque suis tríbuit potestátem ut curárent omnem languórem et omnem infirmitátem in plebe.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Ipse * est diréctus divínitus in pæniténtiam gentis, et

tulit abominatiónes impietátis, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastoráli stúdio et jugi oratiónis ac pæniténtiæ ardóre mirábilem effecísti : da, quæsumus ; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Vigiliæ S. Laurentii Mart. : Ant. et ℣. de Feria.

Oratio

ADÉSTO, Dómine, supplicatiónibus nostris : et intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem, perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde.

Deinde Com. S. Romani Mart. :

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam.

℣. Justus ut palma florébit. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, intercedénte beáto Román no Mártyre tuo, et cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Vesperæ de seq. S. Laurentio Mart., Com. præcedentis :

Ant. Multi credéntium veniébant confiténtes et annuntiántes actus suos.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Omnípotens, ut supra.

DIE 13 AUGUSTI

STÆ RADEGUNDIS

REGINÆ, VIDUÆ

Duplex

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

RADEGÚNDIS, fília Berthárii, Thuringórum príncipis, Clotárii primi ex captíva conjux, beneficéntiam in

páuperes, vigílias statas et crebras oratiónes, cilícii usum, vini abstinéntiam, jejúnia, summam dénique vitæ asperitátem cum régia dignitáte conjúnxit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Occíso fratre jussu Clotárii, ipso permitténte ab aula discédens, sanctum Medárdum ádiit : cumque monásticam vestem suscepísset, in diáconam ab eo benedícta est. Pictávos profécta, ibi ex munificéntia régia monastérium Vírginum sub régula sancti Cæsárii Arelaténsis cóndidit. Impetravítque póstea a concílio Turonénsi secúndo congregatiónis suæ tutélam et confirmatiónem. Cœnóbio sorórem Agnétem Abbatíssam præfécit, quam consecrávit sanctus Germánus Parisiénsis.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Ea autem pietáte Radegúndis sacrifícium Eucharístiæ prosequebátur, ut in illíus usum panes própriis mánibus confíceret, quos divérsis suppeditábat ecclésiis ; ac, præter cétera pietátis offícia, id illi máximæ curæ erat ut pro régibus indesinénter preces fíerent in monastério. Ejus corpus terræ mandávit Gregórius Turonénsis, occupáto in diœcési obeúnda Merovéo Pictaviénsi, cui tamen reservátum est ut revérsus Missam celebráret, tumulóque opérculum impóneret.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Noct. Homilia in Evang. Símile est... thesáuro, de Comm. non Virg.

Ad Laudes ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

DEUS, cujus ope beáta Radegúndis aulæ delícias vitæ monásticæ austeritáte commutávit : da nobis, ejus collucéntibus exémplis et suffragántibus méritis, terréna non sápere, sed amáre cæléstia. Per Dóminum.

Et fit Com. Ss. Hippolyti et Cassiani Mm :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

DA, QUÆSUMUS, omnípotens Deus : ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

In II Vesperis ℣. Diffúsa, ut supra ad Laudes.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem : et panem otiósa non comédit.

Oratio Deus, cujus ope, ut supra.

DIE 25 AUGUSTI

SANCTI LUDOVICI

CONFESSORIS

Duplex majus

Omnia ut in Brev., a Matutino.

In II Vesperis S. Ludovici non fit Com. seq.

DIE 2 SEPTEMBRIS

Bb. JOANNIS MARIÆ DU LAU FRANCISCI JOSEPHI et PETRI LUDOVICI DE LA ROCHEFOUCAULD

PONTIFICUM

ac SOCIORUM

MARTYRUM

Duplex

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

LABÉNTE sæculo décimo octávo, Gállica perturbátio efferátum ódium in veram Christi Ecclésiam, ejúsque mi-

nístros civílem cleri constitutiónem fórtiter improbántes, singulárem in modum concitávit. Centum nonagínta unus viri, fidelitátem ac reveréntiam erga sanctam Románam Ecclésiam strénue serváre satagéntes, Parísiis, mense Augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, ab usurpatório civitátis gubérnio, persecutiónem patiéntes, in quátuor cárceres violénter conjécti, miris pietátis et caritátis exercítiis ad atrox mortis supplícium sese præparántes, primis diébus Septémbris ejúsdem anni, ibídem illústri martýrio occubuérunt. In convéntu Carmelitárum discalceatórum, Joánnes María du Lau, archiepíscopus Arelaténsis, simúlque duo fratres Francíscus Joséphus et Petrus Ludovícus de la Rochefoucauld, unus Bellovacénsis, alter vero Santonénsis epíscopus, exémplum et solátium in advérsis dedérunt suis sóciis, quorum plúrimi, ad vitándas persecutiónes quibus erant obnóxii, ex ómnibus Gálliæ pártibus Parísios confúgerant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra appáruit árida.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

PÁRITER in Seminário sancti Firmíni, venerábilis rector Ludovícus Joséphus François, sancti Vincéntii a Paulo discípulus, plurésque doctóres et sacrárum Facultátum magístri, solámen animúmque sacerdótibus fidélibus áddere non cessárunt. In Abbátia sancti Germáni a Pratis, et in ergástulo dicto « la Force », postrémis mensis Augústi diébus áliquot presbýteri numerósis commíxti sunt láicis; quibus illi ad imminéntem jam necem consolatiónes atque subsídia sacræ religiónis conférre studuérunt. Inter illos sacerdótes speciáli mentióne dignus est párochus ecclésiæ sancti Joánnis

en Grève, Marcus Ludovícus Royer, parochórum civitátis decánus. Hic, postquam sacram absolutiónem céteris dedísset, primus impetítus, et apertíssime prófitens se numquam scelestíssimum juraméntum præstitísse, intrépido ánimo supplícium tolerávit.

℟. Vérbera carnífícum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Bened. Ignem.

Lectio vi

SERVÓRUM Dei relíquiæ atrócem in modum violátæ omníque vestiménto spoliátæ, in commúnes tumbas, divérsis in locis jam ántea parátas, projéctæ fuérunt. In convéntu autem Carmelitárum, cujus templum jam dudum Ecclésia Mártyrum vulgo dicebátur, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, plura ossa invénta sunt in púteo obstrúcto, non longe ab Oratório beátæ Maríæ Vírginis, in quem injéctæ fúerant quædam víctimæ in horto necátæ. Curánte Geórgio Archiepíscopo, inde in cryptam Ecclésiæ transláta sunt, ubi religióse fuérunt asserváta. In pariétibus vero legúntur inscrípta ómnium Servórum Dei nómina qui in prædícto convéntu sunt percúlsi. Hic autem locus, sæpius per annum, diébus præsértim anniversáriis martýrii, a multis peregrínis frequentátur. Illos omnes invíctos Christi mártyres Pius Papa undécimus, anno millésimo nongentésimo vigésimo sexto, fastis Beatórum solémniter adscrípsit.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homilia in Evang. Cum audiéritis, de Communi. plur. Martyrum 1° loco.

Ad Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEUS, qui Joánnem Maríam, Francíscum Joséphum, Petrum Ludovícum Pontífices, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martýrii palma decorásti : eórum précibus concéde ; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Stephani Conf. :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

CONCÉDE, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

In II Vesperis ℣. Exsultábunt, ut supra.

Ad Magnif Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti ; et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

Oratio Deus, qui, ut supra.

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS AVENIONENSIS

A S. R. C. APPROBATA

AC DE MANDATO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

DD. GABRIELIS DE LLOBET

ARCHIEPISCOPI AVENIONENSIS

EDITA

PARS AUTUMNALIS

TURONIBUS

SUMPTIBUS ET TYPIS MAME

SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

OFFICIA PROPRIA

DICŒCESIS AVENIONENSIS

PARS AUTUMNALIS

FESTA SEPTEMBRIS

DIE 2 SEPTEMBRIS

SANCTI AGRICOLI

AVENIONENSIS EP. ET CONF.

Duplex majus

In Civitate Avenionensi :

Duplex I classis cum Octava communi.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Surge, Avénio, * et gaude, quia glória Agrícoli hódie circumfúlsit te.

Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

2 Unxit eum Dóminus * óleo lætítiæ, præ consórtibus pópuli sui.

3 Nos sumus * oves ejus : ipse portávit nos in viscéribus Christi.

4 Benedícite, cæli, * Dómino ; roráte ad Agrícoli impérium.

5 Ecce quem laudant * Angeli, cujus pópuli ossa venerántur.

Capit. Eccli. 50, 4-5

ECCE sacérdos magnus qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne : qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

Hymnus

QUEM cælis célebrant ágmina Cælitum,
Quem terris résonant ora fidélium,
Felix Avénio, Pontíficem tuum,
Civem noscéque fílium.
Jam te summa beat glória Núminis :

Menti, totus amor, se Deus éxplicat ;
Aris relíquiæ lampádibus nitent,
Sacris est honor óssibus.
Urbis tu cólumen rebus in árduis :
Imbres sponte fluunt arbítrio tui,
Messes terra parit, vínea gérminat,
Cum tu núbibus ímperas.
Vastant innúmeræ rura cicóniæ,
Urbem pestíferis ánguibus ínquinant ;
Has jussu rémoves : múnere quo Patris
Jam nunc nóvimus álites.
Sævit, falsa vomens, hæresis ímpia,
Tentat per cúneos glíscere per gregem :
Nobis tu vígilas, mœnia prótegis,
Miris et fácibus fugas.
Trino uníque Deo perpétuum decus,
Qui nunc Agrícolum contúitu beat :
Ac nos cælítibus cívibus ínserat
Cives qui pátriæ sumus. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Agrícole. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Hódie Agrícolus * cælos ascéndit ; hódie sancta per urbem agúntur solémnia ; lætétur terra nostra, natalítiis ejus gloriósa.

Óratio

DEUS, qui nobis beátum Agrícolum Confessórem tuum atque Pontíficem, concívem et patrónum dedísti ; concéde propítius, ita nos ejus sequi vestígia in terris, ut ipsíus concíves esse mereámur in cælis. Per Dóminum.

In Diœcesi fit Com. S. Stephani Conf. et Complet. Feriæ.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Regem, hódie in cælis coronántem Agrícolum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

UMBRÆ diffúgiunt, súrgimus ócius ;
Illábens ténebris provéhitur dies :
Plaudant Agrícolo cántibus Angeli,
Sanctum dum cánimus melos.

Magni progénies, Albíadum genus,
Mundi delícias ábjicit, et fugit,
Virtútum rétinens sémina, quæ Pater
Imis córdibus ínserit.
Fama stat pélago nóbilis Insula,
Qua sanctos áluit Gállia præsules :
Has sedes hábitant relígio, fides ;
Illuc ímpiger ádvolat.
Quo te, Sancte ? tuos síccine déseris ?
Votis Avénio te vocat, éxpetit,
Illústras méritis, et précibus foves :
Ad nos tu cítius redi.
Clero mox óculus præfícitur redux ;
Thesáuros áperit paupéribus sacros,
Commíssas víduas pascit, et ínteger
Prælúdit modo Póntifex.
Trino uníque Deo perpétuum decus
Qui nunc Agrícolum contúitu beat :
Ac nos cælítibus cívibus ínserat,
Cives qui Pátriæ sumus.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 In lege Dómini * meditátus est die ac nocte.

Pss. ut in Comm. Conf. Pont.

Ant. 2 Ego autem * constitútus sum a Dómino, ut prædicárem præcéptum ejus.

Ant. 3 Super pópulum meum * sit benedíctio tua, Dómine.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.
℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lectio i Cap. 3, 1-7

FIDÉLIS sermo : Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum ; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit,

quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Exsúltat gáudio pater justi : * Qui sapiéntem génuit, lætábitur in eo. ℣. Gáudeat pater tuus et mater tua, et exsúltet terra quæ génuit te. Qui.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1, 7-11

Opórtet enim epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum ; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui et seductóres : máxime qui de circumcisióne sunt : quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Egrédere de terra tua, et de domo patris tui ; * Et veni in terram quam monstrávero tibi. ℣. Hæc réquies mea in sæculum sæculi : hic habitábo, quóniam elégi eam. Et.

Lectio iii Cap. 2, 1-8

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam : Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte,

verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Mórtuus est pater ejus, et quasi non est mórtuus ; * Símilem enim relíquit sibi post se. ℣. In vita sua vidit, et lætátus est in illo ; in óbitu suo non est contristátus. Símilem. Glória Patri. Símilem.

In II Nocturno

Ant. 4 Sacrificávit * sacrifícium justítiæ, et sperávit in Dómino.

Ant. 5 Ad te orábo, * Dómine ; mane exáudies vocem meam.

Ant. 6 Constituísti eum * super ópera mánuum tuárum : ómnia subjecísti sub pédibus ejus.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Lectio iv

AGRÍCOLUS ex nóbili Albiénsium família oriúndus, circa annum salútis trigésimum supra sexcentésimum, Avenióne natus est. Ab ipsa puerítia lac pietátis hausit. Mira in eo elucébat innocéntia morum, quasi natívus ad pietátem ardor. Ejus pater fuit beátus Magnus, hujus póstea civitátis epíscopus ; mater, Gandaltrúdia, sive Augustadíala ; avus vero Albínus, unus ex provínciæ magnátibus. Patris edóctus exémplis, ætáte et sapiéntia crevit ; ac vix décimum quartum annum agens, in Lirinénse se cóntulit cœnóbium, eo témporis austerióris vitæ observántia celebérrimum. Religiósæ vitæ ibi tirocínia pósuit, die noctéque cæléstium meditatióni ac stúdio litterárum incúmbens. Sacris initiátus, Avenionémque revérsus, primum archidiáconi múnere decorátur ; quod ádeo perfécte explévit, ut eum jam episcopáli dignum honóre, clerus et pópulus, quasi divíno præságio, judicárent.

℟. Exaltavérunt eum in ecclésia plebis, * Et in cáthedra seniórum posuérunt eum. ℣. Fecit quod plácitum erat Dómino, et ambulávit per omnes vias patris sui. Et.

Lectio v

Ecclésiæ Avenionénsi præerat tunc beátus Magnus. Hic, urgénte jam sénio, cum sibi coadjutórem dari postuláret, ingénti animórum consénsu, ad id múneris Agrícolus elígitur. Qui tanta suavitáte oves commíssas cœpit régere, ut páuperum pater, ecclesiásticæ disciplínæ custos, fídei vindex, Dei verbo instans, bonórum óperum ómnibus præbéret exémplum. Sanctíssimi præsulis institútis, ádeo crevit pópuli in Deum fervor ut jam fidélium multitúdinem cathedrális ecclésiæ spátia non cáperent. Aliam intra muros urbis, própriis súmptibus ædificávit, suo hódie nómine insignítam, reliquiísque nobilitátam. Huic ecclésiæ ánnuos réddidit assignávit, ac mónachis e Lirinénsi ínsula accersítis, unum ex his præfécit abbátem. Prætérea ab altérnis divínum offícium recitándi ritum, in sua ecclésia instítuit. Quem morem, Romæ paulo ante introdúctum, Pépinus rex in Gálliam invéxit, cum Avenióne dudum ántea per Agrícolum viguísset.

℟. Annuntiávi, et locútus sum verbum Dómini; * Et multiplicáti sunt super númerum. ℣. Ædificávit templum Dómino : elégit locum istum et sanctificávit illum, ut sit nomen ejus in sempitérnum. Et.

Lectio vi

His ómnibus præcláre gestis, sibi últimum diem instáre sensit. Memor ergo hujus Dómini Jesu (máxime ad omnes qui præsunt) sententiæ : Beátum scílicet fore servum illum quem Dóminus invénerit vigilántem, sibi et pópulo cœpit impénsius studére, jejúnia, oratiónes sólito frequentióres ádhibens. Augustíssimum altáris sacrifícium pro se offérri vóluit, ánnuos proventus assignans, ut quotídie in episcopáli ecclésia, ad salutárem ipsius ánimæ expiatiónem, Missa solémnis celebrarétur. Patris vestígia premens, successórem sibi eligéndum curávit, sanctum Veredémum, magna virtútis opinióne virum. Demum ferme móriens, servis

plena libertáte donátis, bonis ómnibus Ecclésiæ testaménto relíctis, cúpiens dissólvi, pópulo carus, matúrus Deo, placidíssime ánimam efflávit quarto Nonas Septémbris, anno Dómini septingentésimo exeúnte, ætátis suæ septuagésimo, íniti pontificátus quadragésimo.

℟. Placens Deo factus est diléctus : * In terris visus est ut esset exémplo ; in cælum levátus est, ut sit patrocínio. ℣. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. In terris. Glória Patri. In terris.

In III Nocturno

Ant. 7 Operátus est * justítiam : requiéscet in monte sancto tuo.

Ant. 8 Prævenísti eum * in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Ant. 9 Hæc est generátio * quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

In illo témpore : Dixit Jesus pharisæis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 14 in Evang.

Audístis, fratres caríssimi, ex lectióne Evangélica, eruditiónem vestram ; audístis et perículum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidénti dono, sed essentiáliter bonus est, dicit : Ego sum pastor bonus. Atque ejúsdem bonitátis formam quam nos imitémur adjúngit dicens : Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit, osténdit quod jussit. Bonus pastor, pro óvibus suis ánimam suam pósuit in saciaménto nostro corpus suum et sánguinem vérteret, et oves, quas redémerat, carnis suæ aliménto satiáret.

℟. Amplificátus est in mirabílibus suis : mirabília operátus est in vita sua ; * Et ossa ipsíus post mortem prophetavérunt. ℣. Imperávit ávibus cæli ; orávit, et cælum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. Et.

Lectio viii

Osténsa nobis est de contémptu mortis via quam sequámur ; appósita est forma, cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere : postrémum vero si necésse sit, étiam mortem nostram, pro eísdem óvibus, ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum majus ; sed cum incomparabíliter longe sit mélior ánima qua vívimus, quam terréna substántia quam extérius possidémus : qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam ?

℟. Filíoli, quemádmodum accepístis a nobis quómodo vos opórteat ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, * Imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi. ℣. Opus meum vos estis in Dómino ; vos enim glória nostra et gáudium. Imitatóres. Glória Patri. Imitatóres.

In Diœcesi Lectio ix S. Stephani. Avenione :

Lectio ix

Et sunt nonnúlli, qui dum plus terrénam substántiam quam oves díligunt, mérito nomen pastóris perdunt ; de quibus prótinus súbditur : Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenárius vocátur, qui non pro amóre íntimo oves Domínicas, sed ad temporáles mercédes pascit. Mercenárius quippe est, qui locum quidem pastóris tenet, sed lucra animárum non quærit ; terrénis cómmodis inhiat, honóre prælatiónis gaudet, temporálibus lucris páscitur, impénsa sibi ab homínibus reveréntia lætátur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Surge, Avénio, * et gaude, quia glória Agrícoli hódie circumfúlsit te.

Pss. de Dominica.

2 Unxit eum Dóminus * óleo lætítiæ, præ consórtibus pópuli sui.

3 Nos sumus * oves ejus : ipse portávit nos in viscéribus Christi.

4 Benedícite, cæli,* Dómino ; roráte ad Agrícoli impérium.

5 Ecce quem laudant * Angeli, cujus pópuli ossa venerántur.

Capit. Eccli. 50, 4-5

Ecce sacérdos magnus, qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne : qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

Hymnus

Nobis lux óritur, sol micat ígneus :
Festívum, pópuli, dícite cánticum ;
Apténtur sóciis órgana vócibus,
Et dulci résonent sono.

Mox in Pontíficem Magnus inúngitur,
Et, plenus méritis, æthéreos subit ;
Sacris indúitur fílius ínfulis,
Heres proméritus patris.

Mirum, quo pópulos império regit !
Noscit Pastor oves, móribus ínstruit,
Exémplis révocat, nocte, die, vigil ;
Christo filíolos parit.

Crescit sancta fides, plebs nova náscitur ;
Templi nunc Dómino mœnia cónsecrat,
Auget reddítibus, ditat, et ínscius
Templum jam sibi præparat.

Proh mæror ! rápitur Præsul amábilis,
Pastor delíciæ, Pastor amor gregis :
Cælum mox pénetrans, in súperum choros
Felix spíritus évolat.

Trino uníque Deo perpétuum decus,
Qui nunc Agrícolum contúitu beat ;
Ac nos cælítibus cívibus ínserat
Cives qui Pátriæ sumus.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Agrícole. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Bened. Ant. Super spéculam Dómini * ego sum, stans júgiter per diem; et super custódiam meam ego sum, stans totis nóctibus.

Oratio

DEUS, qui nobis beátum Agrícolum, Confessórem tuum atque Pontíficem, concívem et patrónum dedísti; concéde propítius, ita nos ejus sequi vestígia in terris, ut ipsíus concíves esse mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Stephani.

Ad Horas min. Ant. et Pss. Feriæ.

In Civitate Aven. Ant. de Laud. Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD TERTIAM

Capit. Eccli. 50, 4-5

ECCE sacérdos magnus, qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne : qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

℟. br. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et. Glória Patri. Amávit.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam láudis.

AD SEXTAM

Capit. Eccli. 44,20 et 22

NON est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi : ídeo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam.

℟. br. Elégit eum Dóminus * Sacerdótem sibi. Elégit. ℣. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis. Sacerdótem sibi. Glória Patri. Elégit.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

AD NONAM

Capit. Eccli. 45, 19-20

FUNGI sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

℟. br. Tu es sacérdos * In ætérnum. Tu es.

℣. Secúndum órdinem Melchísedech. In ætérnum. Glória Patri. Tu es.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Surge, Avénio,* et gaude, quia glória Agrícoli hódie circumfúlsit te.

Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 131 Meménto, Dómine, David.

2 Unxit eum Dóminus * óleo lætítiæ, præ consórtibus pópuli sui.

3 Nos sumus * oves ejus : ipse portávit nos in viscéribus Christi.

4 Benedícite, cæli, * Dómino : roráte ad Agrícoli impérium.

5 Ecce quem laudant * Angeli, cujus pópuli ossa veneréntur.

In Diœcesi : a Capit. de seq. ut infra.

In Civitate :

Capit. Ecce sacérdos, ut supra ad Tertiam.

Hymnus

QUEM cælis célebrant ágmina Cælitum,
Quem terris résonant ora fidélium,
Felix Avénio, Pontíficem tuum,
Civem noscéque fílium.
Jam te summa beat glória Núminis :
Menti, totus amor, se Deus éxplicat ;
Aris rellíquiæ lampádibus nitent,
Sacris est honor óssibus.
Urbis tu cólumen rebus in árduis :
Imbres sponte fluunt arbítrio tui,
Messes terra parit, vínea gérminat,
Cum tu núbibus ímperas.
Vastant innúmeræ rura cicóniæ,
Urbem pestíferis ánguibus ínquinant ;
Has jussu rémoves : múnere quo Patris
Jam nunc nóvimus álites.
Sævit, falsa vomens, hæresis ímpia,
Tentat per cúneos glíscere per gregem :
Nobis tu vígilas, mœnia prótegis,
Miris et fácibus fugas.
Trino uníque Deo perpétuum decus,
Qui nunc Agrícolum contúitu beat :

Ac nos cælítibus cívibus
ínserat
Cives qui pátriæ sumus. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Agrícole. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Hic est * sacérdos Altíssimi, qui pro pópulo suo semper orat ad Dóminum et in témpore tribulatiónis factus est reconciliátio.

Oratio

DEUS, qui nobis beátum Agrícolum, Confessórem tuum atque Pontíficem, concívem et patrónum dedísti; concéde propítius, ita nos ejus sequi vestígia in terris, ut ipsíus concíves esse mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Com. seq. tantum, ut infra.

Complet. de Dom.

DIE 3 SEPTEMBRIS

Bb. JOANNIS CAPEAU et SOC.
MARTYRUM

Duplex majus

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in Sanguine Agni.

Oratio

DEUS, qui Joánnem, Ludovícum, Joánnem et Petrum, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martyrii palma decorásti: eórum précibus concéde; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

In Diœcesi fit Com. S. Agricoli ut supra, et S. Stephani.

In II Nocturno

Lectio iv

LABÉNTE sæculo décimo octávo, Gállica perturbátio efferátum ódium in veram Christi Ecclésiam, ejúsque minístros civílem cleri constitutiónem fórtiter improbántes, singulárem in modum concitávit. Centum nonagínta unus viri, fidelitátem ac reveréntiam erga san-

ctam Románam Ecclésiam strénue serváre satagéntes, Parísiis, mense Augústo anni millésimi septingentésimi nonagésimi secúndi, ab usurpatório civitátis gubérnio, persecutiónem patiéntes, in quátuor cárceres violénter conjécti, miris pietátis et caritátis exercítiis ad atrox mortis supplícium sese præparántes, primis diébus Septémbris ejúsdem anni, ibídem illústri martyrio occubuérunt. In convéntu Carmelitárum discalceatórum, Joánnes María du Lau, archiepíscopus Arelaténsis, simúlque duo fratres Francíscus Joséphus et Petrus Ludovícus de la Rochefoucauld, unus Bellovacénsis, alter vero Santonénsis episcopus, exémplum et solátium in advérsis dedérunt suis sóciis, quorum plúrimi, ad vitándas persecutiónes quibus erant obnóxii, ex ómnibus Galliæ pártibus Parísios confúgerant.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrénte inundavérunt. Terra.

Lectio v

PÁRITER in Seminário Sancti Firmíni, venerábilis rector Ludovícus Joséphus François, sancti Vincéntii a Paulo discípulus, plurésque doctóres et sacrárum Facultátum magístri, solámen animúmque sacerdótibus fidélibus áddere non cessárunt. In Abbátia Sancti Germáni a Pratis, et in ergástulo dicto « la Force », postrémis mensis Augústi diébus, áliquot presbyteri numerósis commíxti sunt láicis ; quibus illi ad imminéntem jam necem consolatiónes atque subsídia sacræ religiónis conférre studuérunt. Inter illos sacerdótes speciáli mentióne dignus est párochus ecclésiæ Sancti Joánnis *en Grève*, Marcus Ludovícus Royer, parochórum civitátis decánus. Hic, postquam sacram absolutiónem céteris dedísset, primus impetitus, et

apertíssime prófitens se numquam scelestíssimum juraméntum præstitísse, intrépido ánimo supplícium tolerávit.

℟. Vérbera carnificum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio vi

SERVÓRUM Dei relíquiæ, atrócem in modum violátæ omníque vestiménto spoliátæ, in commúnes tumbas, divérsis in locis jam ántea parátas, projéctæ fuérunt. In convéntu autem Carmelitárum cujus templum, jam dudum Ecclésia Mártyrum vulgo dicebátur, anno millésimo octingentésimo sexagésimo séptimo, plura ossa invénta sunt in púteo obstrúcto, non longe ab Oratório beátæ Maríæ Vírginis, in quem injéctæ fúerant quædam víctimæ in horto necátæ. Curánte Geórgio Archiepíscopo, inde in cryptam Ecclésiæ transláta sunt, ubi religióse fuérunt asservàta. In pariétibus vero legúntur inscripta ómnium Servórum Dei nómina qui in prædícto convéntu sunt percúlsi. Hic autem locus, sæpius per annum, diébus præsértim anniversáriis martyrii, a multis peregrínis frequentátur. Illos omnes invíctos Christi mártyres Pius Papa undécimus, anno millésimo nongentésimo vigésimo sexto, fastis Beatórum solémniter adscrípsit. His adnumerándi sunt Mártyres Joánnes Capeau, Ludovícus Barret, Joánnes Seguin et Petrus Vitális, e diœcési Avenionénsi.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos ; et in témpore erit respéctus illórum, * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homil. in Evang. Cum audiéritis, de Comm. plur. Mm. 1º loco.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

DEUS, qui Joánnem, Ludovícum, Joánnem et Petrum, eorúmque Sócios, cathólicam fidem et jura Ecclésiæ strénue profiténtes, martyrii palma decorásti : eórum précibus concéde; ut spíritu fortitúdinis roboráti, in Dei servítio fidéles usque ad mortem inveniámur. Per Dóminum.

In Civitate Avenionensi fit Com. Oct. S. Agricoli.

IN II VESPERIS

℣. Exsultábunt, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti ; et, quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant síne fine.

Oratio Deus, ut supra.

In Civitate fit Com. Oct. S. Agricoli.

DIE 4 SEPTEMBRIS

(In Civitate)

DE III DIE INFRA OCT. SANCTI AGRICOLI

Semiduplex

Infra Oct. et in die Oct. Antiphonæ et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum sumuntur de occurr. hebdomadæ die, ut in Psalt. ; reliqua ut in Festo præter Lect., quæ in I Noct. dicuntur de Script. occurr. cum suis ℟℟. de Tempore, in II et III Noct. assignantur propriæ.

In II Nocturno

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi

De S. Euseb. 70

Lectio iv

DEPOSITIÓNEM sancti Agrícoli hódie celebrámus : quid est depositio ? Non illa útique, quæ, sepeliéndis in terra membrórum relíquiis, clericórum mánibus procurátur ; sed illa, qua homo vínculis carnálibus absolútus, liber itúrus ad cælum, terrénum corpus depónit. Ipsa plane est depositio,

in qua concupíscere abjícimus, cessámus delínquere, peccáre desínimus, et totum quidquid salúti est grave, quasi abjécta sárcina óneris, depónimus. Nam ídeo hæc dies pro celebritáte máxima procurátur, quia vere est summa festívitas, mórtuum esse vítiis, soli vigére justítiæ.

℟. Exaltavérunt eum in ecclésia plebis, * Et in cáthedra seniórum posuérunt eum. ℣. Fecit quod plácitum erat Dómino, et ambulávit per omnes vias patris sui. Et.

Lectio v

UNDE et depositiónis ipsa dies natális dícitur, quod delictórum cárcere liberáti, libertáti náscimur Salvatóris. Sed videámus, sanctus Agrícolus cum qua glória ad hanc diem depositiónis advénerit. Voláre non potest, nisi quod purum, leve atque súbtile est, cujus nec sincéritas intemperántia retardátur, nec alácritas, nec velócitas mole gravátur : gravári autem volátum dico, non tam mole membrórum quam póndere delictórum. Unde puto étiam, in ipsis ávibus, ídeo velócius colúmbam pene præ ómnibus volitáre quod alacritátem et innocéntia comitétur.

℟. Annuntiávi, et locútus sum verbum Dómini : * Et multiplicáti sunt super número rum. ℣. Ædificávit templum Dómino : elégit locum istum et sanctificávit illum, ut sit nomen ejus in sempitérnum. Et.

Lectio vi

DÉNIQUE sanctus David, cum puritáte mentis voláre concupísceret, non altérius animántis, nisi colúmbæ, optávit alas, dicens : Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo, et requiéscam ? Intelligébat enim, quod altióra facílius penetréntur simplicitáte mentis quam levitáte pennárum. Volávit ergo hac die sanctus Agrícolus. Æstimémus jam ejus innocéntiam de volátu, et puritátem ejus de ipsa elatióne judicémus : tamquam colúmba enim in domo Dei degens, assúmpsit spiritáles

pennas, et requiévit in monte.

℟. Placens Deo factus est diléctus : * In terris visus est ut esset exémplo ; in cælum levátus est, ut sit patrocínio. ℣. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. In. Glória. In.

In III Nocturno Homil. in Evang. Ego sum, ut in die Festi 9

Vesp: de seq., et fit Com. Oct.

DIE 6 SEPTEMBRIS

(In Civitate)

DE V DIE INFRA OCT.

SANCTI AGRICOLI

Semiduplex

In II Vesp. præced., fit Com. Octavæ ut in I Vesp. Festi 4

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

In cap. 15 Ep. ad Rom. serm. 29 circa fin.

Lectio iv

CHRISTUM díligens, et gregem illíus útique díligit : et Móysen tum primum super pópulum Judæórum pósuit, quando, qua esset in illum benevolén-tia, reípsa jam declaráverat. David quoque símili modo regno inaugurátus est, posteáquam apparúerat, quam amíco esset in pópulum afféctu. Ita quippe, júvenis adhuc, pópuli causa, dóluit, ac zelávit, ut et ánimam suam expóneret, cum vidélicet bárbarum illum e médio tollébat. Quod vero dicébat : Quid dábitur ei, qui alienígenam hunc interfécerit : non ídeo dicébat, quod mercédem exígeret, sed quo sibi crederétur, et sibi pugna cum illo committerétur ; nam cum adépta jam victória ad regem esset ingréssus, nihil de mercéde méminit.

℟. Exaltavérunt eum in ecclésia plebis, * Et in cáthedra seniórum posuérunt eum. ℣. Fecit quod plácitum erat Dómino, et ambulávit per omnes vias patris sui. Et.

Lectio v

ET Sámuel quoque benígnus erat et amátor pópuli : unde et dicébat : Absit autem hoc a me peccátum, ut cessem pro vobis oráre Dóminum. Ita et Paulus,

immo non ita, sed multo plus ómnibus ardébat, erga súbditos. Unde et discípulos ita erga se animávit, ut díceret : Si possíbile fuísset, óculos vestros eruissétis, mihíque dedissétis. Et Christus óptimi Pastóris régulam próferens dixit : Bonus Pastor ánimam suam ponit pro óvibus. Sunt enim sanctórum ánimæ vehemènter mites et hóminum amántes, non solum erga domésticos, sed aliénos, ita ut hanc suam mansuetúdinem étiam ad animántia bruta exténdant. Proptérea et sápiens quispiam dixit : Justus miserétur animárum jumentórum suórum ; si jumentórum, multo magis hóminum.

℟. Annuntiávi, et locútus sum verbum Dómini : * Et multiplicáti sunt super númerum. ℣. Ædificávit templum Dómino : elégit locum istum et sanctificávit illum, ut sit nomen ejus in sempitérnum. Et.

Lectio vi

Verum quóniam pécorum mentiónem feci, perpendámus et óvium pastóres illos, qui in Cappádocum regióne sunt, quália et quanta pro pécorum suórum custódia patiántur : illi sæpe número univérsum tríduum nive óbruti perdúrant. Dicúntur autem, et qui in Líbya sunt, non minóra mala ferre, dum íntegros menses difficilem illam solitúdinem pessimarúmque bestiárum plenam vagándo circumcúrrunt. Si tantum erga pécora diligéntiæ impéndunt pastóres illi ; quam, quæso, excusatiónem habébimus, quibus rationáles ánimæ concréditæ sunt, quod profúndum hunc somnum dormímus ? An ignóras gregis hujus dignitátem ? An illíus grátia Dóminus tuus innúmera non fecit ? Annon postrémo et sánguinem suum fudit ? Tu vero réquiem quæris ; et quid póterit pejus esse pastóribus istis ?

℟. Placens Deo factus est diléctus : * In terris visus est ut esset exémplo ; in cælum levátus est, ut sit patrocínio. ℣. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit

omnis ecclésia sanctórum. In. Glória Patri. In.

In III Noct. Homil. in Evang. Ego sum, ut in die Festi 9

Vesp. de Oct. ut in II Vesp. Festi 13

DIE 7 SEPTEMBRIS

(In Civitate)

DE VI DIE INFRA OCT.

SANCTI AGRICOLI

Semiduplex

In II Nocturno

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Unde supra

Lectio iv

ET hómines quidem, qui pópulis præsunt, si quando de rebus fortúitis consultáti sunt, diébus non conténti, noctes étiam vigilándo ádhibent : nos vero, qui pro ipso cælo certámen habémus, ipso quoque die dormímus. Quis, quæso, ab eo nos supplício erípiet, quod istis debétur ? Si enim corpus trucidándum expónere, si innúmeras mortes ferre oportébat, numquid ad hoc munus, tamquam ad núndinas, curréndum erat ? Hæc autem non solum pastóres, sed et oves áudiant, ut alacrióres fáciant pastóres ; ut magis illórum propósitum ácuant, ut ipsi nihil áliud quam obsequéntiam præbeant.

℟. Exaltavérunt eum in ecclésia plebis, * Et in cáthedra seniórum posuérunt eum. ℣. Fecit quod plácitum erat Dómino, et ambulávit per omnes vias patris sui. Et.

Lectio v

ITA Paulus præcépit dicens : Obedíte dúcibus vestris, et súbditi estóte : nam ipsi vígilant pro animábus vestris, tamquam ratiónem datúri ; quando vero dicit, Nam ipsi vígilant, innúmeros labóres, curas et perícula compléctitur. Bonus enim pastor, et talis qualem Christus vult, innúmeris comparátur martyribus. Propter Christum quippe martyr semel quidem est mórtuus, hic vero míllies propter gregem, si quidem talis sit pastor qualem esse opórtet : talis enim pastor síngulis diébus mori potest. Proptérea et vos, cógnito isto labóre, et

précibus et diligéntia et ánimi alacritáte et dilectióne nos juváte ut et nos vestra, et vos vicíssim nostra gloriátio sitis.

℟. Annuntiávi et locútus sum verbum Dómini : * Et multiplicáti sunt super número-rum. ℣. Ædificávit templum Dómino : elégit locum istum et sanctificávit illum, ut sit nomen ejus in sempitérnum. Et.

Lectio vi

NAM ídeo Christus istud Apostolórum coryphæo, et plus ipsum quam réliqui diligénti, comméndans, et injúngens, primum rogábat an ab ipso diligerétur, ut discas quod istud sit ante ómnia réliqua dilectiónis in Christum pósitum signum : strénuo síquidem ánimo hic opus est. Hæc vero mihi de óptimis pastóribus dicúntur, non de meípso, et mei símilibus : sed si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis Agrícolus, istos ítaque imitémur, et superióres, et súbditi : licet enim et súbdito pro parte pastórem ágere, nempe domus suæ, amicórum, domesticórum, uxóris, liberórum.

℟. Placens Deo factus est diléctus : * In terris visus est ut esset exémplo ; in cælum levátus est, ut sit patrocínio. ℣. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. In. Glória Patri. In.

In III Nocturno Homil. in Evang. Ego sum, ut in die Festi 9

Vesp. de seq. sine ulla Com.

DIE 9 SEPTEMBRIS

(In Civitate)

OCTAVA

SANCTI AGRICOLI AVENIONENSIS EP. ET CONF.

Duplex majus

In II Vesp. præced. fit Com. seq. diei Octavæ ut in I Vesp. Festi 4

In II Nocturno

Lectio iv

VULGÁTA per urbem beáti Agrícoli morte, ingens confestim fit civium

concúrsus : tota úrbe fit fletus, effusísque lácrimis, álii atque álii sacrum corpus ámbiunt, pia óscula figunt, eúmque jam in cælis regnántem prece súpplici venerántur. Corpus ejus ad templum Deíparæ delátum, post exséquias mira pópuli frequéntia celebrátas, in sacéllo sancti Petri (quod olim a Rosário nuncupabátur, in quo étiam cratis férrea apparébat cum título) prout ille jússerat, tumulátum est. Ac statim præséntem opem ex Agrícoli patrocínio sensére Avenionénses. Hinc, mirum in modum crevit in eum cultus populíque relígio, ita ut plúrima sacélla, exíguo témporis intervállo, ipsíus nómine donaréntur. Exstat étiam nunc prope Rupem Mauram ejus nóminis templum, ubi, ut ex probátis testimóniis constat, servi sui sanctitátem miraculórum cópia Deus confirmávit.

℟. Exaltavérunt eum in ecclésia plebis, * Et in cáthedra seniórum posuérunt eum. ℣. Fecit quod plácitum erat Dómino, et ambulávit per omnes vias patris sui. Et.

Lectio v

SUA tamen dignitáte præ áliis semper cláruit hocce Avenionénse templum, quod ab ipso Agrícolo eréctum, Joánnes vigésimus secúndus ampliávit, insígni Capítulo ornávit, atque hódie primæ parochiális nomen habet ecclésiæ. Ad glóriam hujúsce templi hoc étiam adjécit summus Póntifex, ut in eo beatórum Agrícoli nec non patris ejus Magni ossa conquiéscerent. Quod ejúsdem jussu ita factum est, ut eórum sacris relíquiis a cathedráli ecclésia in hanc delátis, sanctórum Máximi, Donáti et Veredémi ossa, quæ in hac erant, vicíssim cathedráli ecclésiæ traderéntur. Patris et fílii córpora in árculis lígneis auróque vestítis cóndita sunt ; ac tandem, jussu cardinális Aláni, Avenionénsis episcopi, a Póntio Vasionénsi antístite, die séptima Septémbris anno Dómini millésimo quadringentésimo quinquagésimo octávo, sub

majóris altáris médio decénter repósita sunt. ℟. Annuntiávi, et locútus sum verbum Dómini; * Et multiplicáti sunt super númerum. ℣. Ædificávit templum Dómino : elégit locum istum et sanctificávit illum, ut sit nomen ejus in sempitérnum. Et.

Lectio vi

QUANTA fúerit omni témpore hujus túmuli glória, testántur innúmera plane miracula. Norunt cives, quóties, rebus in præsénti discrímine addúctis, ipsis præsídio fúerit; quóties infírmi, a dæmónibus vexáti, salúte obténta, domum rediére. Apud omnes imprímis solémne est anathéma illud quo infélix ciconiárum agmen, serpéntibus inféstans urbem, procul eliminávit. Nostram felicitátem univérsa Gállia demiráta est, cum, circumquáque freménte hæresi, Avénio fere única intácta permánsit. Immo, hæréticis proditiónem aliquándo moliéntibus, visa est fax splendidíssima quæ muros obérrans hostes a propósito detérruit. Nullum dénique latet quam rerum nostrárum sit sollícitus, ita ut fere nusquam ejus sacrum caput, prece solemnióri, per urbem delátum sit, quin prótinus opem próximam senséri-mus.

℟. Placens Deo factus est diléctus : * In terris visus est ut esset exémplo; in cælum levátus est, ut sit patrocínio. ℣. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum. In. Glória Patri. In.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

IN illo témpore : Dixit Jesus pharisæis : Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Isidóri Episcopi

Sententiarum libro 30 cap. 45

SICUT pérvigil pastor contra béstias oves custodíre solet, ita et Dei sacérdos super

gregem Christi sollícitus esse debet, ne inimícus vastet, ne persecútor infestet, ne potentióris cujúsquam cupíditas vitam páuperum inquiétet. Pravi autem pastóres non habent curam de óvibus ; sed, sicut légitur in Evangélio de mercenáriis, vident lupum veniéntem et fúgiunt. Tunc enim fúgiunt, quando poténtibus tacent, et malis resístere métuunt.

℟. Amplificátus est in mirabílibus suis : mirabília operátus est in vita sua ; * Et ossa ipsíus post mortem prophetavérunt. ℣. Imperávit ávibus cæli ; orávit, et cælum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. Et.

Lectio viii

Pastóres pro populórum iniquitáte damnántur, si eos aut ignorántes non erúdiant, aut peccántes non árguant, testánte Dómino ad Prophétam : Speculatórem dedi te dómui Israël ; si non fúeris locútus, ut se custódiat ímpius a via sua mala, ille in iniquitáte sua moriétur : sánguinem autem ejus de manu tua requíram. Sic enim Heli sacérdos pro filiórum iniquitáte damnátus est, et licet eos delinquéntes admonúerit, sed tamen, non, ut oportébat, redárguit.

℟. Filíoli, quemádmodum accepístis a nobis quómodo vos opórteat ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, * Imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi. ℣. Opus meum vos estis in Dómino ; vos enim glória nostra et gáudium. Imitatóres. Glória Patri. Imitatóres.

Lectio ix de S. Gorgonio Mart.

Ad Laud. fit Com. S. Gorgonii.

In II Vesp. fit Com. seq.

DIE 25 SEPTEMBRIS

SANCTI CASTORIS

APTENSIS, EP. ET CONF.

Duplex

(Aptæ, Duplex majus)

In II Vesp. B. Mariæ de Mercede fit Com. S. Castoris :

Ad Magnif. Ant. In bonitáte * et alacritáte ánimæ suæ plácuit Deo pro Israël: ídeo státuit illi testaméntum pacis, príncipem Sanctórum et gentis suæ, ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. ℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEUS, qui, précibus beáti Cástoris Confessóris tui atque Pontíficis, víncula captivórum dirupísti : fac nos súpplices ejus patrocíniis ita adjuvári, ut peccatórum néxibus solúti, tibi semper líbera mente serviámus. Per Dm̃.

Si I Vesp. dicendæ sint, Ant. et Capit. de Laud., Pss. de Dom., sed loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum, Hymnus de Matutino, ℣., Ant. ad Magnif. et Oratio ut supra.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

O vos, Christíadæ, débita Cástoris,
Virtútis mémores, prómite cántica ;
Quem nec blandítiis, nec pótuit jocis
Fallax víncere sæculum.
Cæléstis pátriæ mens ínhians bonis,
Ad luctam próperat líber ab ómnibus :
Fastus, delíciæ, nomen, opes, genus
Sordent : fit Deus ómnia.
Illo, sancta cohors, quæ, duce, mílitas,
Hostis nec rábiem, nec métuas dolum :
Te circum vígili próvidus éxcubat
Abbas sollicitúdine.
Illi cura subest única, méntibus
Infúsa ténebras luce repéllere,
Et, queis ipse flagrat, súbdere lánguidis
Vivas pectóribus faces.
Desérti satis est munéribus datum :
Castor, Pontíficis rejícies onus
Frustra ; non álium plebs sibi flágitat :
Pastorále geres pedum.
Sit laus summa Patri súmmaque Fílio ;
Sit par, alme, tibi glória, Spíritus,

Qui sacris hábiles munéribus tuo
Ungis Chrísmate præsules.
Amen.

In II Nocturno

Lectio iv

CASTOR Nemausénsis, claríssimis ortus natálibus, et liberálibus disciplínis appríme excúltus, primo in agéndis forénsibus causis, et componéndis públicis privatísque discórdiis, mira excélluit sermónis eloquéntia et morum probitáte. Suscépto judiciáli múnere, oppresso subveniébat, pupíllo judicábat, et causa víduæ apud illum ingrediebátur. In matrimónio, quod cum nóbili fília cujúsdam víduæ Arelaténsis contráxerat, quasi mónachi vitam duxit. Ejus socru demórtua, et uxóre arctióris vitæ propósitum cum áliquot virgínibus aggréssa, ipse ad perfectióra vocátus supra óppidum, nómine Manáncham, quod ejus potíssimum ópera uxóris doti accésserat, virórum ædificávit monastérium. Cujus ut præfectúram suscíperet, nullis umquam addúci précibus pótuit, vilíssimis éligens in ministériis inservíre, quibus dum aliquándo occuparétur, Deo servi sui sanctitátem illustránte, láneam vestem ex ardénte clíbano illæsam et íntegram retráxit. Mórtuo vero abbáte, in monastérii régimen ex obediéntia sufféctus, nihil antíquius hábuit, quam ut perfectíssimam suis mónachis vivéndi formam præscríberet. Qua de re scripsit ad beátum Joánnem Cassiánum Massiliénsem, qui síngula Ægypti et Oriéntis monastéria studiósus lustráverat ; cujus étiam exstant ad Cástorem de institutióne monástica libri.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

EXSTÍNCTO intérea Aptensi præsule Quintíno, Castor commúni

ómnium suffrágio epíscopus delígitur ; cui ut honóri páriter et óneri se subdúceret, clam monastério aufúgiens, sese in spelúncam montis Lebredónis ábdidit. Verum paulo post a venatóribus invéntus, mandáto epíscopi Cabellionénsis obtémperans, Aptam dedúcitur, sacrísque initiátus, præfícitur, non sine multis lácrimis, Ecclésiæ quam sanctíssime in difficíllímis tempóribus administrávit. Forma factus gregis ex ánimo, egénis pecúnia, míseris solátio, órphanis consílio, ómnibus patérna caritáte semper ádfuit. Et, ne Apténsi cárcere deténtis auxílio deésset, cum aliquándo, imminénte Pascháte, aperíri cárceres, vinctósque dimítti a prætóre frustra postulásset, divíno ipse actus númine ad jánuam cárceris, comitánte clero, accúrrit ; ibíque provolútus in génua, quod ab hómine obtinére non póterat, effúsis précibus a Dómino impetrávit. Apérta enim ultro cárceris porta, diruptísque sponte caténis, solútas divínitus humánis vínculis oves bonus Pastor ad Ecclésiam córpore Christi, ut postulárat, reficiéndas dedúxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

MONASTÉRIUM, cujus régimen retinúerat, frequens invisébat. Quod dum aliquándo, sæviéntibus imbre ventísque, nocte intempésta péteret, uno tantum comitánte diácono ardéntem præ mánibus céreum gerénte, nec illum, nec cómitem furens in itínere nimbósa tempéstas ullo modo tétigit ; immo nec accénsum procellósa vis venti céreum exstínxit. Admirabília plane sunt quæ fecit et dócuit, et quæ in episcopátu virtútum exémpla reliquit. Concílio quod contra Máximum Valentínum gregis sui corruptórem, jussu

Bonifácii primi, celebrátum est, cum áliis trédecim epíscopis subscrípsit. Apténsem cárcerem ad enixas prætóris preces in sacéllum convértit, quod ad perpétuam miráculi memóriam Christo Salvatóri consecrávit. Morti próximus, vicínos convocári præsules curávit et mónachos, eísque óbitus sui diem magna cum ánimi exsultatióne prædíxit. Instánte morte, multis caritátis, humilitátis, religiónis éditis documéntis, últimum convocáto bene precátus est clero, sumptóque Eucharístiæ sacraménto, seípsum crucis signo múniens, et, elevátis mánibus, suspíciens in cælum, ánimam Deo réddidit undécimo Kaléndas Octóbris, anno salútis quadringentésimo vigésimo nono. Sepúltus fuit in sacéllo Salvatóris, ubi innúmeris cláruit miráculis. Díruto autem sacéllo, venerándum ejus corpus in cathedrálem eccléstam translátum est, ubi summa cólitur veneratióne.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Vigiláte, de Comm. Conf. Pont. 2º loco.

AD LAUDES

Ant. 1 Vir amátor civitátis * et bene áudiens, pro affféctu pater appellabátur.

Pss. de Dominica.

2 Erat religiósus, * fáciens eleemósynas multas plebi, et déprecans Deum semper.

3 Curávit gentem suam, * et liberávit eam a perditióne : et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

4 Sanctificábat illos, * consurgénsque offeré-bat holocáusta, dicébat enim : Ne forte peccáverint.

5 Pavit eos * in innocéntia cordis sui ; et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

QUO fugis præceps ? Latitáre nescit
Mille porténtis manifésta virtus :
Præsulem jam te feret in suprémum
Apta tribúnal.
Non tumet fastu, neque splendet auro ;
Sórdidam servat, velut ante, vestem ;
Ora defórmi dabat una virtus
Unde nitéret.
Spréverit vili quis eum lacérna,
Cujus ad nutum eleménta parent ?
Scílicet jussi posuére, fractis
Víribus, ignes.
O piæ virtus fídei ! furéntes
Imbris et venti cóhibet procéllas ;
Rupta mirátur cecidísse ferri
Róbora carcer.
Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe ; fac Patrem paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Ego Dóminus * vocávi te in justítia ; et dedi te in fœdus pópuli, ut edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedéntes in ténebris.

Oratio

DEUS, qui, précibus beáti Cástoris Confessóris tui atque Pontíficis, víncula captivórum dirupísti : fac nos súpplices ejus patrocíniis ita adjuvári, ut peccatórum néxibus solúti, tibi semper líbera mente serviámus. Per Dóminum.

Ad Horas Ant. et Pss. Feriæ, Capit. et ℟℟. de Comm. Conf. Pont.

IN II VESPERIS

Ant., Capit., Hymnus et ℣. ut supra ad Laud. ; Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 131 Meménto, Dómine, David.

Ad Magnif. Ant. Memória ejus * in benedictióne est : símilem illum fecit in glória Sanctórum ; magnificávit eum, et osténdit illi glóriam suam.

Et fit Com. seq. Ss. Mm.

Complet. Feriæ.

DIE 27 SEPTEMBRIS

SANCTI ELZEARII

CONFESSORIS

Duplex (m. t. v.)

(Ansoissiis, Dupl. II cl.)

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

DEUS, qui sanctum Elzeárium inter céteta virtútum insignia, virgináli pudicítia in conjúgio decorásti ; ejus suffragántibus méritis, concéde nobis, quæsumus, ut, puritátis decóre ornáti, ad te qui púritas es, pervenire valeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. Ss. Cosmæ et Damiani Mm.

In II Nocturno

Lectio iv

ELZEÁRIUS, gentis Sabrániæ, apud Sályos nobilitáte præclárus, ab ipsis incunábulis non obscúra præbuit futúræ sanctitátis indícia. Nam sexta quaque féria lac nutrícis súgere recusábat : quam deínceps abstinéntiæ consuetúdinem toto vitæ témpore retínuit. Quinquénnis Guillélmo de Sabráno ipsíus pátruo, abbáti sancti Victóris Massiliénsis, erudiéndus tráditus, mirum quantum sub tanti viri disciplína in virtútibus christiánis profécerit. Cœnóbio egréssus et ad áulicam vivéndi ratiónem adáctus, multa apud Sicíliæ regem Cárolum secúndum Massíliæ commorántem grátia flóruit. Inito vero cum Delphína nobilíssima et ditíssima vírgine matrimónio, virgíneam in conjúgio castitátem, pia uxóris oratióne expugnátus, cólere propósuit. Quod virginále in matrimónio lílium ut illibátum serváret, assídua castigatióne carnem

domans, jejúniis, flagéllis et contínua sub spléndidæ vestis nitóre asperitáte cilícii, corpus in servitútem redígere sollícite satagébat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Lectio v

MÓRTUO patre, comitátus Ariáni possessiónem adéptus una cum casta cónjuge Neápolim proficíscitur, ubi a Robérto Cároli secúndi successóre exercítui præféctus, deínde ipsíus fílii príncipis Calábriæ institutióni præpósitus, tandémque missus ad regem Galliárum, de contrahéndo inter eúmdem Calábriæ príncipem, et fíliam Cároli ducis Valésii matrimónio, legátus; vária hæc múnia mira dexteritáte, et prudéntia felíciter implévit. Nec tamen, tantis licet implicátus negótiis rebúsque áulicis addíctus, ab exímiæ pietátis exercítio umquam déstitit. Síngulis enim diébus, super egénos et páuperes intélligens, eórum inópiam sublevábat, deténtis in cárcere solátium adhibébat, ægrotántibus in nosocomío ministrábat : leprósos admirándæ caritátis offício prósequens, eórum pedes lavábat, membra languóribus confécta refovébat, vúlnera sánie manántia própriis mánibus detergébat. Quibus heróicis incúmbens caritátis opéribus, piíssimi in régia Gálliæ aula Legáti nomen obtínuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

HÆC dum Parísiis Legátus ágeret, summámque viri sanctitátem maniféstis étiam prodígiis testátam cives páriter et áulici admirabúndi veneraréntur, febre súbito corréptus in morbum incidit.

Quo ingravescénte, ántequam præsénti Domínici córporis viático communirétur, confessárii, cui totíus vitæ sériem et cordis secréta detéxerat, auctoritáte compúlsus, de illæsa in matrimónio serváta cum uxóre virginitáte arcánum pública confessióne apéruit. Sumpto sacræ Eucharístiæ viático, nova syncope corréptus, advérsus hostem humáni géneris diu et multum colluctári visus est. Tandem, hoste profligáto, ad sedáti vultus serenitátem usúmque linguæ rédiens, in his vócibus : Benedícam Dóminum in omni témpore, spíritum Deo réddidit quinto Kaléndas Octóbris anno Dómini millésimo trecentésimo vigésimo quinto. Ejus corpus in ecclésiam Fratrum Minórum civitátis Apténsis, ut móriens mandáverat, delátum, multis cláruit miráculis. Quibus permótus Urbánus quintus Elzeárium fastis Sanctórum adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct. Homil. in Evang. Sint lumbi, de Comm. Conf. non Pont. 1° loco.

Lectio ix Ss. Cosmæ et Damiani Mm.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

DEUS, qui sanctum Elzeárium inter céteta virtútum insígnia, virgináli pudicítia in conjúgio decorásti ; ejus suffrágántibus méritis, concéde nobis, quæsumus, ut, puritátis decóre ornáti, ad te qui púritas es, perveníre valeámus. Per Dóminum.

Et fit Com. Ss. Cosmæ et Damiani.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio

DEUS, qui sanctum Elzeárium inter cétera virtútum insígnia, virgináli pudicítia in conjúgio decorásti ; ejus suffragántibus méritis, concéde nobis, quæsumus, ut, puritátis decóre ornáti, ad te qui púritas es, pervenire valeámus. Per.

Et fit Com. seq. et Ss. Martyrum.

FESTA OCTOBRIS

DIE 1 OCTOBRIS

SANCTI REMIGII

EP. ET CONF.

Duplex majus

Omnia ut in Proprio Galliæ.

DIE 3 OCTOBRIS

SANCTÆ TERESIÆ A JESU INFANTE

VIRGINIS

Duplex II classis

Omnia ut in Proprio Galliæ.

DIE 8 OCTOBRIS

DEDICATIO ECCLESIÆ METROPOLITANÆ

Duplex I classis cum Oct. communi (in tota Diœcesi)

Omnia ut in Comm. Dedicat.

In I Vesp. fit Com. præced. tantum.

Ad Laud. fit Com. S. Birgittæ.

In II Vesp. fit Com. seq. et S. Joannis Leonardi Conf.

DIE 9 OCTOBRIS

Ss. DIONYSII et SOC.

MARTYRUM

Duplex

Omnia ut in Proprio Galliæ, præter Com. in II Vesp. præced.

DIE 12 OCTOBRIS

DE V DIE INFRA OCT. DEDICAT.

Semiduplex

Omnia ut in Comm.

Vesp. de seq., et fit Com. præced.

DIE 15 OCTOBRIS

OCTAVA DEDICAT. ECCL. METROPOL.

Duplex majus

Omnia ut in Comm.

In I Vesp., fit Com. præced. et S. Teresiæ.

Ad Matut. Lectio ix S. Teresiæ.
Ad Laud. fit Com. S. Teresiæ.
In II Vesperis fit Com. seq. et S. Teresiæ.

DIE 17 OCTOBRIS

SANCTI FLORENTII
ARAUSICANI EP.
ET CONF.

Duplex

(Arausicæ, Dupl. maj.)

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.
℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Floréntii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. ac S. Margaritæ Mariæ Alacoque Virg.

In II Nocturno

Lectio iv

FLORÉNTIUS qui et Florentínus, apud Turonénses in Gállia natus, exímia vir sanctitáte fuit. Hic, a prima ætáte óptime institútus, postquam in clericórum númerum adscríptus est, in ábdita quadam céllula, piis meditatiónibus egrégie excúlto ánimo, Romam et Apostolórum límina, religiónis causa, proficíscitur. In eo itínere íncidit forte in latrónes, a quibus, post multa probra et contumélias, caput étiam suum peti stricto gládio videt. Ille nihil nisi spíritum Deo comméndat suum ; cum ecce, o rem miram ! suspénsum in áëre latrónis hæret bráchium írrito conátu. Hoc miráculo cum perterrefácti péssimi hómines, sanctum virum rogáre cœpíssent Deum ipsis ut propitiáret ; íllico, illis impetráta a Dómino misericórdia, percussóres suos impúne ac bona cum vénia dimísit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto

meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Vicus est in agro Placentíno non ignóbilis, Florentíolam hódie vocant ; quo cum póstea pervenísset, atque ante ómnia more suo sacram ædem precum causa adiísset, puéllam ibi, quæ ad sepultúram forte deferebátur, a mórtuis éxcitat. Hoc tanto miráculo, cum loci princeps, qui puéllæ erat pater, tum étiam íncolæ, pro se quisque Floréntium invitáre, amóre et benevoléntia complécti, ómnia ei sua deférre. Aliquot post annos, ubi eum in cæléstem pátriam migrásse allátus est núntius, eúmdem beátum Floréntium tutelárem et perpétuum pagi patrónum suméndum omnes censuérunt. Itaque eódem illo in loco ubi puélla ad vitam fúerat revocáta, ad ipsíus Sancti honórem, templum iídem amplificándum curavérunt, quod póstea elegantióre étiam ópere et structúra auctum, hódie pie vísitur et frequentátur. Nec uníus pagi angústiis tanti viri cultus se contínuit ; áliis prætérea in locis magno in honóre fuit et glória miraculórum illústris.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

In sua Gállia cum pópulo univérso, tum ipsi étiam príncipi percárus, Arausicánæ Eccléśiæ Póntifex creátus, multa tum pietátis, tum étiam doctrínæ dedit arguménta, óptimi pastóris et paréntis offícia muniáque diligentíssime éxsequens, sanctíssimam vitam sanctíssima consecúta est mors, décimo sexto Kaléndas Novémbris. Sepúltus in ea urbe est honorificentíssime, ut talem virum decébat. E sacris ejus

óssibus insignióra áliquot, Dionysii Placentíni antístitis ópera, Florentíolam ad illud, quod díximus, templum deláta, summo cum honóre excépta sunt ; ibíque et multis persæpe miráculis floruérunt, et in magna apud omnes veneratióne habéntur. Cujus étiam translatiónis dies ibídem décimo quarto Kaléndas Aprílis anniversária memória recólitur.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

Lectio ix S. Margaritæ Mariæ Alacoque.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Floréntii Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Margaritæ Mariæ.

Vesp. de seq. et fit Com. præcedentis :

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio ut supra.

Deinde Com. S. Margaritæ Mariæ :

Ant. Veni Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, qui investigábiles divítias Cordis tui beátæ Margarítæ Maríæ Vírgini mirabíliter revelásti; da nobis, ejus méritis et imitatióne, ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, jugem in eódem Corde tuo mansiónem habére mereámur : Qui vivis.

FESTA NOVEMBRIS

DIE 5 NOVEMBRIS

COMMEMORATIO

OMNIUM SANCTORUM DIŒCESIS AVENIONENSIS

Duplex majus

IN I VESPERIS

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. de Dominica, sed loco ultimi, Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Sanctórum velut áquilæ * juvéntus renovábitur, florébunt sicut lílium in civitáte Dómini.

4 Abstérget Deus * omnem lácrimam ab óculis sanctórum, et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quóniam prióra transiérunt.

5 In cæléstibus regnis * sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

Capit. Rom. 13, 7

MEMENTÓTE præpositórum vestrórum qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis imitámini fidem.

Hymnus

REX glorióse Mártyrum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cæléstia.

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens præmia.

Aurem benígnam prótinus
Inténde nostris vócibus;
Trophæa sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis inter Mártyres,

parcísque Confessóribus: Tu vince nostra crímina, Largítor indulgéntiæ.

℣ Deo Patri sit glória Ejúsque soli Fílio, Cum Spíritu Paráclito Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

TRÍBUE, quæsumus, omnípotens Deus, omnes Sanctos tuos, quos nostra ferventius veneratur Ecclésia, júgiter oráre pro nobis, eósque a te semper cleménter audíri; ut quorum intuémur éxitum conversatiónis, imitémur et fidem. Per Dóminum.

Deinde fit Com. præced. et Oct. Omn. Sanctorum.

Complet. Feriæ.

AD MATUTINUM

Invit. Deum qui glorificátur in concílio sanctórum, * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus Rex glorióse, ut in I Vesp.

In I Nocturno

Ant., Pss. et ℣℣. ut in I Noct. Omnium Sanctorum.

De Epístola prima beáti Joánnis Apostóli

Lectio i Cap. 3

VIDÉTE qualem caritátem dedit nobis Pater, ut fílii Dei nominémur et simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. Caríssimi, nunc fílii Dei sumus; et nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam cum apparúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit peccátum, et iniquitátem facit: et peccátum est iníquitas. Et scitis quia ille appáruit ut peccáta nostra tólleret, et peccátum in eo non est. Omnis qui in eo manet non peccat, et omnis qui peccat non

vidit eum nec cognóvit eum. Filíoli, nemo vos sedúcat. Qui facit justítiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit peccátum, ex diábolo est, quóniam ab inítio diábolus peccat. In hoc appáruit Fílius Dei ut dissólvat ópera diáboli.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes spléndidas vestes; et ángelus Dómini locútus est ad me dicens : * Isti sunt viri Sancti facti amíci Dei. ℣. Vidi ángelum Dei fortem, volántem per médium cælum voce magna clamántem et dicéntem. Isti.

Lectio ii

Omnis qui natus est ex Deo peccátum non facit : quóniam semen ipsíus in eo manet, et non potest peccáre, quóniam ex Deo natus est. In hoc manifésti sunt fílii Dei, et fílii diáboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non díligit fratrem suum ; quóniam hæc est annuntiátio quam audístis ab inítio, ut diligátis altérutrum. Non sicut Cain, qui in malígno erat, et occídit fratrem suum. Et propter quid occídit eum ? Quóniam ópera ejus malígna erant, fratris autem ejus justa. Nolíte mirári, fratres, si odit vos mundus ; nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicída est, et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in semetípso manéntem. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit, et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam, * Quorum doctrína fulget Ecclésia ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam. Quorum.

Lectio iii

Qui habúerit substántiam hujus mundi, et víderit fratrem suum necessitátem habére, et cláuserit víscera sua ab eo, quómodo cáritas Dei

manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo neque lingua, sed ópere et veritáte. In hoc cognóscimus quóniam ex veritáte sumus et in conspéctu ejus suadébimus corda nostra, quóniam si reprehénderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit ómnia. Caríssimi, si cor nostrum non reprehénderit nos, fidúciam habémus ad Deum; et quidquid petiérimus, accipiémus ab eo; quóniam mandáta ejus custodímus, et ea, quæ sunt plácita coram eo fácimus; et hoc est mandátum ejus, ut credámus in nómine fílii ejus Jesu Christi; et diligámus altérutrum, sicut dedit mandátum nobis, et qui servat mandáta ejus, in illo manet, et ipse in eo; et in hoc scimus, quóniam manet in nobis de spíritu, quem dedit nobis.

℟. Tóllite jugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde, * Jugum enim meum suáve est et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum. Glória Patri. Jugum.

In II Nocturno

Ant., Pss. et ℣. e II Noct. Omnium Sanctorum.

Lectio iv

Si peregrínas palmas externósque triúmphos tanta nos opórtet sedulitáte venerári, ut quod aliénum est locis nostrum faciámus offíciis, quanto impénsius cónvenit in eórum celebritáte fervére, quibus multíplicem debet relígio veneratiónem, eccléSia honórem, pátria caritátem; ut quorum esse cives gratulámur in terris, cum his mancipátum habére mereámur in cælis. Hac ígitur die venerémur illos Christi discípulos qui cum beáta Martha, paulo post ascensiónem Dómini nostri Jesu Christi, nostras fundárunt Ecclésias. Hi nobis cum fide in Christum devotiónem erga ejus Genitrícem Maríam inseruérunt, ut testántur eccléSiæ cathedráles Avenionénsis, Apténsis, Cabellionénsis, Vasionénsis,

Arausicána et étiam Carpentoracténsis, licet sensim sine sensu ad álium títulum declináverit; quæ omnes cum multis áliis inferióris dignitátis ecclésiis in honórem hujúsce beatíssimæ Genitrícis Dei Maríæ dedicátæ sunt ab inítio.

℟. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum, et jam non erit ámplius neque luctus neque clamor sed nec ullus dolor, * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. Quóniam.

Lectio v

VENERÉMUR étiam præter Mártyres illos, Confessóres et Vírgines, quos próprio offício donáre nobis concéssum est, et álios plures qui in ósculo Dómini vita functi, sanctitáte clari habéntur : Augiam, quæ Aptæ Júliæ sánguinem pro Christo fudit; Justum, nómine et mérito justum, qui post sanctum Rufum Avenionénsem rexit Ecclésiam; Quintínum sancti Cástoris super Apténsem cáthedram prædecessórem; Antonínum epíscopum Carpentoracténsem, cujus nomen et virtútum memória sola remansérunt; Bártium et Theodósium, qui in sede Vasionénsi, méritis et virtútibus claruérunt, hic ante sanctum Quinídium, et ille post eúmdem sanctum Præsulem; Marcéllum et Petrónium fratres, qui Avenióne natáles habuérunt, et ambo unus post álterum Ecclésiam Diénsem rexérunt sanctíssime; Euchérium qui, dum in spelúnca Druéntiæ imminénti latéret, ad sedem episcopálem Lugdunénsem, licet relúctans, evéctus est, quam doctrína, sanctitáte et miráculis, illustrávit; Theoffrédum Eudonémque ejus pátruum, e nobilióribus Aráusicæ cívibus, qui monastérium Calmeliacénse, in diœcési Aniciénsi sanctíssime gubernárunt et quorum prior angélicam vitam glorióso martyrio coronávit; Póntium sancti Andréæ in monte Andaonénsi abbátem; Ca-

sáriam quæ in eódem monte vitam duxit eremíticam, et Majólum e nóbili família Avenionénsi progénitum, qui præféctus Cluniacénsi monastério innúmeram famíliam piíssime gubernávit.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis : * Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torrentes inundavérunt. Terra.

Lectio vi

NON sinit píetas in hac solemnitáte prætermíttere Rossolínam vírginem órdinis Carthusiáni, sancto Elzeário consanguinitáte propinquíssimam, quæ Parvalóne, aut étiam juxta álios in monastério sancti Andréæ de Raméríis, vitæ religiósæ princípiis imbúta, ibi támdiu commoráta est donec ad regéndum áliud monastérium inde educerétur ; Petrum Thomásium, insígnem, sub Cleménte sexto et Innocéntio sexto, verbi Dei Avenióne præcónem ; Martínum, civitátis Tricástinæ præsulem, cujus relíquiæ Valreácii religiosíssime servántur. Nec illos omíttere déceat qui Avenióne Sanctórum fastis adscripti sunt : Petrum de Moróno, in summo Pontificátu dictum Cælestínum ; Ludovícum, Tolósæ epíscopum, a Joánne vigésimo secúndo ejus magístro inter sanctos relátum ; Thomam epíscopum ; Thomam, Doctórem Angélicum ; Ivónem presbyterum, et Elzeárium de Sabráno, Confessórem. Supplícia vota postrémo dirigámus et ad álios concíves nostros cum Christo in cælo regnántes, quorum nómina solíus Dei sciéntia cólligit, Dóminum rogántes ut quorum intuémur conversatiónis éxitum, imitémur et fidem. Licet habeámus tantam impósitam nubem téstium, immémores esse non debémus supra hos omnes intercessóres nos habére álium Advocátum apud Patrem Jesum

Fílium Dei, qui semper vivit ad interpellándum pro nobis, cujus sacratíssimo et amantíssimo Cordi tota hæc diœcésis, in die sancto Paschæ, anno millésimo octingentésimo septuagésimo primo solémniter devóta consecrátaque est.

℟. Sancti mei qui in carne pósiti certámen habuístis, * Mercédem labóris ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti patris mei, percípite regnum. Mercédem. Glória Patri. Mercédem.

In III Nocturno

Ant., Pss. et ℣. ut in III Noct. Omnium Sanctorum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 1-12

In illo témpore : Videns Jesus turbas ascéndit in montem ; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et adapériens os suum, docébat eos dicens : Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cælórum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri

Comment. in Matth. cap. 5

Beáti páuperes spíritu : hoc est quod álibi légimus : Et húmiles spíritu salvábit. Ne quis putáret paupertátem quæ nonnúmquam necessitáte portátur a Dómino prædicári, adjúnxit spíritu, ut humilitátem intellígeres, non penúriam. Beáti páuperes spíritu, qui propter Spíritum Sanctum voluntáte sunt páuperes. Unde super hujuscémodi paupéribus et Salvátor per Isaíam lóquitur : Dóminus misit me, propter quod evangelizáre paupéribus misit me. Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram. Non terram Judæ nec terram istíus mundi ; non terram maledíctam spinas et tríbulos afferéntem, quam crudelíssimus quisque et bellátor magis póssidet ; sed terram quam psalmísta desíderat dicens : Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℟. Sint lumbi vestri

præcíncti, et lucérnæ arděntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et.

Lectio viii

BEÁTI qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur. Luctus hic non mortuórum pónitur commúni lege natúræ, sed peccátis et vítiis mortuórum. Sic flevit et Sámuel Saulem, quia pœnitúerat Deum quod unxísset eum regem super Israël. Sicut Paulus apóstolus flere et lugére se dicit eos qui post fornicatiónem et immundítiam non egérunt pœniténtiam. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam. Non súfficit nobis velle justítiam, nisi justítiæ patiámur famem; hoc exémplo numquam nos satis justos, sed semper esuríre justítiæ ópera intelligámus. Beáti misericórdes. Misericórdia non solum in eleemósynis intellígitur, sed in omni peccáto fratris, si alter altérius ónera portémus.

℟. Média nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Prudéntes Vírgines, aptáte lámpades vestras. Ecce. Glória Patri. Ecce.

Lectio ix

BEÁTI mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt. Quos non árguit consciéntia ulla peccáti. Mundus mundo corde conspícitur. Templum Dei non potest esse pollútum. Beáti pacífici. Qui primum in corde suo, deínde et inter fratres pacem fáciunt. Quid enim prodest álios per te pacári, cum in tuo ánimo sint bella vitiórum. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam. Signánter dicit propter justítiam; multi enim persecutiónem propter sua peccáta patiúntur, et non sunt justi.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. de Dominica.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Sanctórum velut áquilæ * juvéntus renovábitur, florébunt sicut lílium in civitáte Dómini.

4 Abstérget Deus * omnem lácrimam ab óculis sanctórum, et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quóniam prióra transiérunt.

5 In cæléstibus regnis * sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

Capit. Rom. 13, 7

MEMENTÓTE præpositórum vestrórum qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus

SALÚTIS ætérnæ dator,
Jesu redémptis súbveni ;
Virgo, parens cleméntiæ,
Dona salútem sérvulis.
Cohors triúmphans Mártyrum,
Almus sacerdótum chorus,
Et virgináles cástitas,
Nostros reátus ábluant.
Quicúmque in alta síderum
Regnátis aula príncipes,
Favéte votis súpplicum
Qui dona cæli flágitant.
¶ Virtus, honor, laus, glória,
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi.
℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére, multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

TRÍBUE, quæsumus, omnípotens Deus, omnes Sanctos tuos, quos nostra fervéntius venerátur Ecclésia, júgiter oráre pro nobis, eósque a te semper cleménter audíri ; ut quorum intuémur éxitum conversatiónis imitémur et fidem. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct.

Ad Horas min. Ant. et Pss. Feriæ.

AD TERTIAM

Capit. Mementóte, ut supra ad Laud.

℟. br. Lætámini in Dómino, * Et exsultáte, justi. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Et exsultáte, justi. Glória Patri. Lætámini.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM

Capit. Hebr. 13, 9

DOCTRÍNIS váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis quæ non profuérunt ambulántibus in eis.

℟. br. Exsúltent justi * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In. Glória Patri. Exsúltent.

℣. Justi autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Capit. Hebr. 13, 13-14

EXEÁMUS ad Jesum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus.

℟. br. Justi autem * in perpétuum vivent. Justi. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In. Glória Patri. Justi.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Sancti tui, * Dómine, florébunt sicut lílium, et sicut odor bálsami erunt ante te.

Pss. de Dom., sed loco ult., Ps. 115 Crédidi.

2 Sancti per fidem * vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes.

3 Sanctórum velut áquilæ * juvéntus renovábitur, florébunt sicut lílium in civitáte Dómini.

4 Abstérget Deus * omnem lácrimam ab óculis sanctórum, et jam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quóniam prióra transiérunt.

5 In cæléstibus regnis * sanctórum habitátio est, et in ætérnum réquies eórum.

Capit. Mementóte, ut supra ad Laud.

Hymnus

REX glorióse Mártyrum,
Coróna confiténtium,
Qui respuéntes térrea
Perdúcis ad cæléstia.

Qui pergis inter lília,
Septus choréis Vírginum,
Sponsus decórus glória,
Sponsísque reddens præmia.

Aurem benígnam prótinus
Inténde nostris vócibus
Trophæa sacra pángimus,
Ignósce quod delíquimus.

Tu vincis inter Mártyres,
Parcísque Confessóribus:
Tu vince nostra crímina,
Largítor indulgéntiæ.

¶ Deo Patri sit glória
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito
Nunc et per omne sæculum. Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi.
℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Sancti et justi, * in Dómino gaudéte et exsultáte; vos elégit Deus in hereditátem sibi.

Oratio

TRÍBUE, quæsumus, omnípotens Deus, omnes Sanctos tuos, quos nostra fervéntius veneratur Ecclésia, júgiter oráre pro nobis, eósque a te semper cleménter audíri; ut quorum intuémur éxitum conversatiónis imitémur et fidem. Per Dóminum.

Deinde fit Com. seq. et Oct. ut infra.

Complet. Feriæ.

DIE 6 NOVEMBRIS

SANCTI STEPHANI
APTENSIS EP.
ET CONF.

Duplex

In II Vesp. præced. fit Com. S. Stephani:

Ant. Sacérdos et Póntifex,* et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.
℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEUS, qui nobis in beáto Stéphano Confessóre tuo atque Pontífice miræ mansuetúdinis exémplum præbuísti; tríbue, quæsumus, ut, ejus méritis et imi-

tatióne, promíssa mítibus præmia felíciter consequámur. (Per Dm̃.)

Deinde Oct. Omn. Sanctorum.

In II Nocturno

Lectio iv

STÉPHANUS, Agathæ nóbili génere natus, ad sedem episcopálem Apténsem circa annum millésimum assúmptus, omnes sanctíssimi Pontíficis partes implévit. Mira in illo enítuit mansuetúdo, ádeo ut ómnium ánimos sibi devincíret; et, si quos paterétur adversários, illíus memor apostólici dicti : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, ad mensam eos sæpius adhibébat, eorúmque ódium humanitáte sua súperans, eos sibi et Christo lucrabátur.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inímicus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

IN secúnda, quam, pietátis causa, ad loca sancta instítuit, peregrinatióne, morbo valde ancípiti per viam corréptus, ecclésiam suam cathedrálem a Bárbaris dírutam, sub título Beátæ Maríæ reædificándam vovit. Salúti prístinæ præter omnem spem restitútus, Aptámque revérsus, voto se exsólvit. Sedit cum Guliélmo Agathénsi epíscopo in concílio Narbonénsi octávo. Obiit octávo Idus Novémbris, anno millésimo quadragésimo sexto, ætátis suæ septuagésimo primo, et in eccléesia quam constrúxerat, tértia suæ mortis die sepúltus est.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi

Homil. 1 in Epist. 1 ad Tim.

SI quis episcopátum áppetit, non principátus ac dominatiónis

fastu, sed pro cura regíminis et caritátis affféctu, non ímprobo. Bonum quippe desíderat opus. Quippe et Móyses eámdem rem appetivísse cognóscitur. Verum illuc hujúsmodi poténtiam ambitúmque dominándi nequáquam quæsívit; sed eam rem ita cupívit, ut nec contuméliam audíre refúgeret, cum illi dicerétur : Quis te constítuit príncipem et júdicem super nos? Si quis ígitur ita desíderat, desíderat bene. Episcopátus enim ex eo dícitur, quod omnes inspíciat cunctáque speculétur. Opórtet ígitur epíscopum irreprehensíbilem esse. Hoc único verbo genus omne virtútum expréssit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Noct. Homil. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. 1° loco.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEUS, qui nobis in beáto Stéphano Confessóre tuo atque Pontífice miræ mansuetúdinis exémplum præbuísti : tríbue, quæsumus; ut ejus méritis et imitatióne, promíssa mítibus præmia felíciter consequámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct.

Vesp. de seq., et fit Com. præced. et Oct., ut infra.

EADEM DIE 6 NOVEMBRIS

In Ecclesiis consecratis, excepta Metropolitana

DEDICAT. PROPRIÆ ECCL.

Duplex I classis cum Oct. communi

Omnia ut in Comm. Dedicat.

I Vesp. sine ulla Com.

Ad Laud. fit Com. S. Stephani tantum.

In II Vesp. fit Com. seq. tantum.

DIE 7 NOVEMBRIS

IN FESTO

Ss. RELIQUIARUM

QUÆ IN ECCLES. DIŒCESIS ASSERVANTUR

Duplex majus

(Comm: plur. Mart.)

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Oratio

AUGE in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum et Oratio Deus, ut supra.

Deinde Octavæ.

In II Nocturno

Ex Tractátu sancti Joánnis Damascéni de fide orthodóxa

Lectio iv Lib. 4 cap. 15

CHRISTUS Dóminus sanctórum relíquias velut salutáres fontes præbuit, ex quibus plúrima ad nos benefícia manant, suavissimúmque unguéntum prófluit. Nec vero quisquam his fidem détrahat. Nam si aqua in desérto ex dura et áspera rupe, atque ex ásini maxílla, ad sedándam Samsónis sitim, Deo ita volénte, prosíliit, cur incredíbile videátur ex Mártyrum relíquiis unguéntum suáve scaturíre ? Mínime certe iis, quibus Dei poténtia et honor, quo Sanctos suos áfficit, perspécta sunt et exploráta.

℟. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis :

* Terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impediménto. ℣. Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, et torréntes inundavérunt. Terra.

Lectio v

In lege quidem, quisquis mórtuum tetígerat, immúndus censebátur. Hi verum in mortuórum número mínime sunt habéndi. Ex quo enim ille qui ipsa Vita est, et vitæ Auctor, inter mórtuos deputátus est : eos qui cum spe resurrectiónis fidéque in ipsum obdormiérunt, nequáquam mórtuos appellámus. Qui enim mórtuum corpus miracula édere queat ? Quanam ígitur ratióne, horum ópera dæmones expellúntur, morbi profligántur, ægróti sanántur, cæci visum recípiunt, leprósi mundántur, tentatiónes discutiúntur ac mæróres, omne dénique datum óptimum, iis qui fide non dúbia póstulant, per eos descéndit a Patre lúminum ? Quid labóris non suscípias, ut patrónum nanciscáris, qui te mortáli regi ófferat, et pro te ad eum verba fáciat ? An non ígitur ii honorándi, qui totíus géneris humáni patróni sunt, Deóque pro nobis súpplices preces ádhibent ?

℟. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine : * Ut heredes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut.

Lectio vi

Honorándi certe : et quidem ita ut in eórum nómine templa Deo exstruámus, dona offerámus, memórias eórum colámus, atque in iis spirituáliter oblectémur : ea útique lætítia, quæ illis arrídeat a quibus invitámur, ne, dum demeréri illos studémus, offendámus pótius et irritémus. Quibus enim rebus Deus cólitur, iísdem servi quoque ipsíus oblectántur : quibus autem Deus offénditur, iísdem étiam mílites offendúntur. Quocírca in psalmis et hymnis et cánticis spirituálibus, in compunctióne quoque, et egenórum miseratió-

ne, quibus et Deus potíssimum cólitur, nos qui fidéles sumus, cólere Sanctos opórtet. Státuas eis, et imágines quæ videántur, erigámus : immo virtútes eórum imitándo hoc consequámur, ut vivæ ipsórum státuæ imaginésque evadámus.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos : et in témpore erit respéctus illórum : * Quóniam donum et pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intélligent veritátem : et fidéles in dilectióne acquiéscent illi. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

In III Noct. Homil. in Evang. Descéndens Jesus, de Comm. plur. Mm. 2º loco.

AD LAUDES

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Ad Bened. Ant. Vestri capílli cápitis * omnes numeráti sunt : nolíte timére : multis passéribus melióres estis vos.

Oratio

AUGE in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. :

Ant. Te gloriósus *Apostolórum chorus, te Prophetárum laudábilis número, te Mártyrum candidátus laudat exércitus; te omnes Sancti et elécti voce confiténtur unánimes, beáta Trínitas, unus Deus.

℣. Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári : quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Vesp. de seq. die Octava Omn. Sanctorum, et fit Com. præced. :

Ant. Gaudent in cælis * ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

AUGE in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur.

Deinde Ss. Quatuor Coronatorum Mm. :

Ant. Istórum est enim * regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi, et pervenérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Exsúltent justi in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Oratio

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

DIE 11 NOVEMBRIS

SANCTI MARTINI

EP. ET CONF.

Duplex majus

Omnia ut in Breviario. I Vesp. dicuntur integræ et fit Com. præced. ac S. Mennæ.

DIE 13 NOVEMBRIS

SANCTI VERANI

CABELLIONENSIS EP. ET CONF.

Duplex

(Cabellione, dupl. 1 cl. cum Oct. comm.)

IN I VESPERIS

Ant. 1 Deus, fons veritátis * et grátiæ, irrigávit te, Veráne, et replévit grátiis.

Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 116 Laudáte Dóminum, omnes Gentes.

2 Spectántibus ómnibus, * dracóne pulso, plebs univérsa in Dómino lætátur.

3 Loquebántur * solútis linguis muti, glorificántes Deum.

4 Claustra Príncipum Apostolórum * divínitus patuérunt beáto Veráno, cunctis admirántibus.

5 Angelus Dómini * amnes divísit, ut siccis vestígiis pertransíret pópulus, pállium sequens elevátum.

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est justus, et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

SACRA devóte pópulus Cabélli
Festa Veráni célebret Patróni,
Plura, quæ fecit Dóminus per illum,
Mira canéndo.
Sórgiæ serpens látitans in antro,
Vínculo vinctus procul effugátur ;
Alter, Albíngam pópulans, ab ejus
Péllitur agris.
Imber optátus flúitat repénte ;
Múlio sospes removétur igne ;
Arido virtus rémeat latrónis
Dempta lacérto.
Rédditur cæco sua lux, et auris
Rédditur surdo, sua lingua muto ;
Impari qui vix pede claudus ibat,
Ambulat æquo.
Imperat morbis ; ábigit malígnos
Spíritus ; divum simulácra vertit,
Atque defúnctos vocat ad prióris
Múnera vitæ.
Glóriam Trino Dómino sed Uni,
Tanta qui fecit méritis beáti
Mira Veráni, tribuámus ergo
Nunc et in ævum.
Amen.

℣. Sacérdos magne, Veráne, pastor egrégie.
℟. Ora pro nobis Deum.

Ad Magnif. Ant. Fulsit antístes sanctus,* sicut óriens stella, lux veritátis, mirabílium efféctor, glória sacerdótum, splendor Cabéllicus, urbis præsídium, pópuli protéctio.

Oratio

PROPITIÁRE, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per beáti Veráni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne, ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. ac S. Didaci.

Complet. Feriæ.

AD MATUTINUM

Invit. Laudémus Deum nostrum * In solemnitáte beáti Veráni.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

PRÆSULIS nostri repetámus hymnos,
Qui crucis signo pótuit per orbem
Plúrimos morbis Satanáque pressos
Réddere sanos.

Sponte Sanctórum patuísse claustra
Príncipum Petri sociíque Pauli,
Jánitor, nolens reseráre vidit
Obstupefáctus.

Arelaténsi récubans cubíli,
Ante prædícens moritúrus horam,
Férvidus psalmos récitans et hymnos,
Lúmina clausit.

Pállium, sese révelans in auras,
Indicat vallem túmulo statútam ;
Læta mirátur, sequitúrque turba
Prævia signa.

Tránsiit siccis pédibus fluénta
Bina, ceu murum faciénte lympha ;
Ducta mox illuc, lácrimans beátum
Corpus humávit.

Sancte tu Præsul, pópulo rogánti
Pro tuo semper véniam precáre
A Deo Trino : jugis ac sit illi
Glória trina.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Fons Vallis conclúsæ * édidit nobis diléctum Deo, beátum Veránum.

Pss. ut in Comm. Conf. Pont.

Ant. 2 Claris erat * ortus natálibus, sed clárior multo éxstitit sanctitáte.

Ant 3 Lætétur Cabéllio * exímium civem suum habuísse Pastórem.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lect. 1 Cap. 3, 1-7

FIDÉLIS sermo : Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum ; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit?Non neóphytum, ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Conféssor Dei Veránus, cápitis tonso vértice, se súbdidit Christi milítiæ, * Primævo adolescéntiæ flore. ℣. Sapiéntia supra ætátem profíciens super senes intelligébat. Primævo.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1, 7-11

OPÓRTET enim epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum ; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui et seductóres : máxime qui de circumcisióne sunt : quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. In réditu ad pátriam corúscans miráculis, fugit mundi glóriam : * De ejus regréssu lætátur tota cívitas, exsúltat plebs Cabéllica. ℣. Hóminem missum a Deo, cui nomen erat Veránus. De.

Lectio iii Cap. 2, 1-8

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam: Senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Qui ad fontem Sórgiæ a voráci serpénte liberávit innumerábilem gentem, * Ipse líberet nos a fáucibus infernális dracónis. ℣. Misit Dóminus servum suum ut latitántem in specu dracónem longe fugáret. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In II Nocturno

Ant. 4 Gaudet * et Mimaténsis Ecclésia virum hunc admirábilem suum alúmnum fuísse.

Ant. 5 Exsúltat Jargálium * aliæque regiónes, quas, fúgiens mundi glóriam, fulgens miráculis, peragrávit.

Ant. 6 Sacérdos factus, * pátriam répetit, cum ejus splendor núllibi latéret.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis.

Lectio iv

Veránus, in diœcési Cabellionénsi, in loco cui nomen Vallisclausa claris natálibus ortus créditur. A primis annis mirum in modum totus in Dei ópere conversátus est. Présbyter ordinátus plúrimas Galliárum províncias peragrávit, verbi Dei sémina spargens et miráculis corúscans. Ut crebrescéntem sui nóminis famam effúgeret Vallicláusæ se ábdidit et

totam regiónem Cabellionénsem póstea ab ingénti dracóne homínibus pecoribúsque infestíssimo mirabíliter liberávit. Peregrinatiónem románam pie aggréssus, cum ad Confessiónem sancti Petri advenísset, sacrum sacéllum, peráacta oratióne, súbito, uti tradunt, férreis véctibus divínitus dissolútis sibi reserári videt. Ex Urbe rédiens, Albíngæ íncolis qui per annum plúvia carúerant, suis précibus magnam ímbrium cópiam óbtinet. Quodam in pago defúnctam puéllam vivéntem patri suo reddidísse fertur : itémque muliónem régium flammis damnátum, illæsum ab incéndio eripuísse, postquam báculo suo ignem tetígerat. Quo miráculo permótus rex, Veránum accérsit, illúmque magno in honóre penes se retínuit et cum Cabellionénsem civitátem ac provínciam peragráret, ipsum cómitem hábuit.

℟. Transeúnti Albigánum, lætánter cives occúrrunt, ægros quosque afferéntes ; * Nam crucis signo curabántur omnes. ℣. Obstupéscunt Albiganénses tot mirabília cerneántes. Nam.

Lectio v

Eódem témpore defúncto Prætextáto Cabellionénsi epíscopo, ingénti animórum consénsu, in locum defúncti Veránus licet invítus elígitur. Suscépto episcopátu, omnes óptimi pastóris et paréntis partes adimplévit ; ad bonos mores clericórum servándos omni stúdio, exémplo, voce, scriptis incúbuit. Decórem domus Dómini et locum habitatiónis ejus ita diléxit, ut ipse suis súmptibus ecclésiam cathedrálem exstrúxerit prout habet antiquórum fida relátio. Apud reges Childebértum secúndum et Gontrándum multum grátia váluit. Fílium autem Childebérti e sacro fonte suscépit, Theodóri nómine ei impósito. A Gontrándo tum ad reginæ Fredegúndis ministros missus est de cæde Prætextáti Rhotomagénsis archiepiscopi inquisitúrus, tum in causa

electiónis abbatíssæ in monastério sanctæ Crucis Pictaviénsis consúltus.

℟. Arida diu sine aquis terra fructum non ferébat : * Agris fidélium prece sua imbrem magnum Veránus impetrávit. ℣. Pollicéntur pagáni se ipsos quoque in Deum creditúros, si illórum campi plúvia irrigéntur. Agris.

Lectio vi

Anno quingentésimo octogésimo quinto, concílio Matisconénsi subscrípsit. Porro sanctus Gregórius Turonénsis ejus amícus de ipso scribens : Eo témpore, inquit, erat Veránus Cabellionénsis epíscopus, magnis virtútibus præditus, ita ut plerúmque infírmis signum crucis impónens, statim sanitátem, tribuénte Dómino, restauráret. Arelátem tandem, quamvis senectúte conféctus, ad concílium provinciále venit, ubi letháli morbo corréptus, suprémum vitæ suæ diem et horam frátribus prænuntiávit, oculísque deínde in cælum defíxis, spíritum Deo réddidit. Cum totam noctem in decantándis psalmis et oratiónibus traduxíssent epíscopi aliíque astántes, mane féretrum cum sancti Præsulis córpore levátur ; sed quo feréndum esset cum ignorárent, súbito, ut memóriæ próditum est, pállium quo operiebátur mirabíliter sublevátum, funus præit, viámque demónstrat. Tum in tránsitu ámnium Druéntiæ et Sórgiæ, divísis aquis úndique instar muri consisténtibus, univérsus pópulus, qui comitabátur siccis vestígiis pertránsiit, ac tandem supra ecclésiam in honórem Deíparæ Vírginis ab ipso Veráno exstrúctam pállium sistit ibíque in lapídeo monuménto sacrum corpus depósitum est.

℟. Collápsæ signo Crucis idolórum státuæ, repénte redúctæ sunt in púlverem : * Templum abominatiónis, beáti Veráni oratióne fúnditus est evérsum. ℣. At pópulus Gentílium, simulácris nimis crédulus,

áliud depóscit miráculum. Templum. Glória Patri. Templum.

In III Nocturno

Ant. 7 Erat hic prope * infestíssimus draco, quem de specu edúctum jussit abíre, et némini ámplius fore nocitúrum.

Ant. 8 Iter Romam confíciens * plúrimos Ebredúni suis précibus reddit incólumes.

Ant. 9 Oránte sancto Veráno, * in se furéntis ictus evánuit, et in sublími erécta lictóris dextra rígida remánsit.

℣. Tu es sacérdos in ætérnum. ℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 9 in Evang.

Léctio sancti Evangélii, fratres caríssimi, sollícite consideráre nos ádmonet, ne nos, qui plus céteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab auctóre mundi grávius inde judicémur. Cum enim augéntur dona, ratiónes étiam crescunt donórum. Tanto ergo esse humílior atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo qui péregre proficíscitur, servos suos vocat, eísque ad negótium talénta partítur. Post multum vero témporis positúrus ratiónem revértitur : bene operántes pro apportáto lucro remúnerat, servum vero a bono ópere torpéntem damnat.

℟. Magna voce vir Dei precátur, flexis génibus : * Esto propítius, Dómine, servi tui précibus, ne péreat hic pópulus. ℣. Mox dracóne expúlso, extérriti omnes inclámant : Vere non est álius Deus nisi quem Veránus adórat. Esto.

Lectio viii

Quis ítaque iste homo est qui péregre proficíscitur, nisi Redémptor noster, qui, in ea

carne quam assúmpserat, ábiit in cælum ? Carnis enim locus próprius terra est ; quæ quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in cælo collocátur. Sed homo iste, péregre proficíscens, servis suis bona sua trádidit ; quia fidélibus suis spirituália dona concéssit. Et uni quidem quinque talénta, álii duo, álii vero commísit unum. Quinque étenim sunt córporis sensus, vidélicet : visus, audítus, gustus, odorátus et tactus. Quinque ergo taléntis, donum quinque sénsuum, id est, exteriórum sciéntia, exprímitur. Duóbus vero, intelléctus et operátio designátur. Uníus autem talénti nómine, intelléctus tantúmmodo designátur.

℟. Incredulórum ténebris, immolántium dracóni in ténebris, illúxit Dei cláritas, * Grátia veræ fídei. ℣. Beáta glória Dómini, qui nos Veráni méritis vocávit ad veram lucem. Grátia veræ fídei. Glória Patri. Grátia veræ fídei.

ix Lectio S. Didaci.

AD LAUDES

Ant. 1 Cum accessísset * vir Dei Ravénnam, qui a dæmónibus vexabántur, advenísse Christi fámulum Veránum clamábant.

Pss. de Dominica.

2 Cógnito cives * servi Dei advéntu, infirmórum déferunt multitúdinem sperántium per illum promeréri Dómini cleméntiam.

3 Duódecim viri Medioláni, * beáti Veráni oratióne, a dæmónica liberántur vexatióne.

4 Cæcus quidam * ad eum delátus, viri Dei obténtu, optátam lucem se recepísse gaudet.

5 Beátus Veránus, * qui flammas superávit, vitiórum ignes exstíngui obtinébit.

Capit. Eccli. 44, 16-17

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus, et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

Veráne, Præsul íncly-
te,
Astántem plebem cón-
fove ;

Gubérnans tuos fámulos,
Læto vultu nos réspice.
Supplex precátu ómnia
A nobis pelle nóxia ;
Tui prece ad gáudia
Pertingámus perénnia.
Sit læta cunctis hæc dies ;
Inter cæléstes ácies,
Præfúlgens Christi fácies
Sit nobis vera réquies.
¶ Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc, et in perpétuum. Amen.

℣. Beáte Veráne, pastor egrégie. ℟. Ora pro nobis Dóminum.

Ad Bened. Ant. Conféssor ínclytus Dei * Veránus, tangens báculo ignem exstínxit : régio jussu muliónem regis flammis addíctum illæsum ab incéndio exémit ; ejus précibus Rex regum perdúcat nos ad regna cælórum.

Oratio

PROPITIÁRE, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per beáti Veráni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Com. S. Didaci.

Ad Horas Ant. et Pss. Feriæ : Capit. et ℟℟. de Comm. Conf. Pont.

Vesp. de seq. ut infra et fit Com. præced. ac S. Josaphat.

Si II Vesp. dicendæ sint, Ant., Capit. et Hymnus ut in I Vesp., Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 131 **Meménto, Dómine David**, ℣., Ant. ad Magnif. et Oratio ut infra. Et fit Com. seq. ac S. Josaphat.

EADEM DIE 13 NOVEMBRIS

In Ecclesiis consecr.

OCTAVA DEDICATIONIS PROPRIÆ ECCLESIÆ

Duplex majus

Omnia ut in Comm.

In I Vesp. fit Com. præced., S. Verani et S. Didaci.

Ad Matut. Lectio ix (e tribus una) S. Verani.

Ad Laudes fit Com. S. Verani ut supra et S. Didaci.

Vesp. de seq. et fit Com. præced., S. Verani et S. Josaphat.

DIE 14 NOVEMBRIS

SANCTI RUFI
AVENIONENSIS EP.
ET CONF.

Duplex II classis
(m. t. v.)

Omnia ut in Comm. Conf. Pont., præter ea quæ sequuntur.

Oratio

SANCTI Rufi, Confessóris tui atque Pontíficis, tríbue nobis, Dómine, patrocínio deféndi : ut, cujus memóriam cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur et méritis commendémur. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. S. Verani :

Ant. Setit bis * unda fluens, et per siccum in médio ejus sacrum corpus efferéntes, pópuli plures ambulavérunt, pállio cælitus eleváto viam ad sepúlcrum præmonstránte.

℣. Glorióse magnificátus es, beáte Veráne. ℟. Quia per te mirabília multa fecit Dóminus.

Oratio

PROPITIÁRE, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis, per beáti Veráni Confessóris tui atque Pontíficis mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. (Per Dóminum.)

Deinde S. Josaphat Mart.

In II Nocturno

Lectio iv

MEMÓRIÆ trádidum tenet Avenionénsis Ecclésia beátum Rufum, quem Protopræsulem veneratur, fílium esse Simónis Cyrenæi quem angariavérunt veniéntem de villa ut tólleret crucem Jesu. Rufus, Cyréne natus, quæ Líbyæ est urbs insígnis, ab infántia a paréntibus disciplínis óptimis erudítus, non scientiárum modo, sed et morum præcépta apprime percépit. Cum pater, re familiári dispérdita, Líbyam deseruísset, Hierosolymámque venísset cum fíliis suis Alexándro et Rufo, visis quæ in dies patrábat Christus mirándis opéribus,

ejus institúta sectári fidémque profitéri cœpit, ita ut pater et duo fílii inter ipsíus discípulos adnumerári merúerint. Post vero ascénsum in cælos Salvatórem, Rufus Doctóri géntium adhæsit, et cum eo Romam venit. De quo Paulus in Epístola ad Romános : Salutáte Rufum, eléctum in Dómino ; quo brevi elógio quanti fécerit beáti Rufi sanctimóniam commónstrat Apóstolus.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

SÓCIUM ac cómitem suárum peregrinatiónum beátum Rufum sibi elégit Apóstolus ; et, cum in Hispániam venísset, ipsum Ecclésiæ Derthusánæ præfécit epíscopum. Quantis stúdiis et conciónibus, máxime vero sanctæ vitæ exémplo, fidem propagáverit, quanta diligéntia recens initiátos Derthusános, véluti teméllos fílios, excolúerit, inde cólligi potest, quod, et óperum et conciónum percrebrescénte fama, civitátis Valéntiæ íncolæ ad beátum Rufum dirèxérunt qui rogárent ut e discípulis suis mítteret, ut, fugátis errórum ténebris, evangélica luce illustrarén-tur. Cum vero Sérgius Paulus a beáto Paulo Apóstolo Narbonénsium epíscopus ordinátus fuísset, ipse Rufus cum Sérgio in Gállias venit, Avenionensémque fundávit Ecclésiam. Erga demandátum sibi gregem óptimi pastóris múnia adímplens, Evangélium mirífice propagávit, et paráta sibi præmia sanctióri vita auxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

AD ea ítaque præmia pervénit, annórum jam póndere gravis ; et méritis plenus, obdormívit in Dómino circa

annum Christi nonagésimum. Cujus Festum Avenionénsis et Derthusána Ecclésiæ die décima quarta Novémbris célebrant. Defúncti vero corpus in templo cœnóbii ab ipso extra muros civitátis fundáti depósitum fuit, ubi per multa sæcula summa religióne colebátur, donec eo témpore, quo San-Rufénsium canonicórum collégium Valéntiam in Delphinátu tradúctum est, pretiósæ illæ exúviæ, in cathedrále fanum beátæ Maríæ de Domnis translátæ, in argéntea theca cum áliis Sanctórum corpóribus cónditæ sunt. Luctuósis vero Gállicæ perturbatiónis tempóribus, a sacrílegis homínibus pollútæ ac dispérsæ sunt.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse intercédat. Glória Patri. Ipse intercédat.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19, 27-29

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis ? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri

Lib. 3 in Matth. cap. 19

Grandis fidúcia ! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quærébat ; et tamen lóquitur confidénter : Relíquimus ómnia. Et, quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perféctum est : Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti : quid ígitur nobis dabis præmii ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit, Qui reliquístis ómnia ; hoc enim et Crates

fecit philósophus, et multi álii divítias contempsérunt : sed, Qui secúti estis me ; quod próprie Apostolórum est atque credéntium.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Lectio viii

In regeratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti), sedébitis et vos in sóliis judicántium,condemnántes duódecim tribus Israël ; quia, vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur : Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru : et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui ergo, propter fidem Christi et prædicatiónem Evangélii, omnes afféctus contémpserint atque divítias et sæculi voluptátes ; isti céntuplum recípient, et vitam ætérnam possidébunt.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et. Glória Patri. Et.

Lectio ix S. Josaphat.

Oratio

Sancti Rufi, Confessóris tui atque Pontíficis, tríbue nobis, Dómine, patrocínio deféndi : ut, cujus memóriam cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur et méritis commendémur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Josaphat.

In II Vesp. fit Com. seq. et S. Josaphat.

DIE 21 NOVEMBRIS

PRÆSENTATIO B. M. V.

Duplex II classis

Omnia ut in Breviario.

DIE 26 NOVEMBRIS

SANCTÆ DELPHINÆ

VIRGINIS

Duplex

(Ansoissiis Dupl. maj.)

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui nobis in beáta Delphína Vírgine sponsa, invíctæ puritátis insígne monuméntum præbuísti : concéde, quæsumus, ut, ejus exémplo et auxílio roboráti, pro castitáte contínuo dimicémus, ac tandem victrícibus líliis cum ipsa coronémur. Per.

Et fit Com. præced. :

Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai, et in eódem loco per sanctos Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ Vírginis et Mártyris tuæ mirabíliter collocásti : præsta, quæsumus ; ut, ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui Christus est, pervenire valeámus.

Deinde S. Silvestri Abbatis ac S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.

In II Nocturno

Lectio iv

DELPHÍNA in pago Provínciæ Pódio Michaélis nóbili génere nata, ab ipsa infantia exímiæ sanctitátis édidit argumenta. Puéllula ab omni córporis cultu et ornátu abhórruit, variáque primæ illius ætátis oblectaménta réspuens, oratióni únice vacáre in delíciis hábuit. Mórtuis paréntibus, sanctimo-

niálium divæ Catharínæ in diœcési Regiénsi curæ et institutióni commíssa, cum religiósum, ut optáverat, institútum amplécti omníno vetarétur, suam Deo virginitátem consecrávit, se suáque ómnia ex légibus religiósæ disciplínæ ita compónens ut moniálibus admiratióni esset, palam dictitántibus Delphínam adolescéntulam consummátæ virtútis magistérium implevísse. A monastério edúcta, et a pátruo, quod juxta régiam voluntátem núbere Elzeário baróni de Sabráno cómitis Ariáni fílio recusáret, áspere ádmodum excépta, atque étiam cólapho percússa, támdiu orándo ingémuit, donec, cælésti visióne recreáta, de futúro Vírginis Deíparæ ad tuéndam in tanto discrímine virginitátem singulári præsídio cértior facta est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Lectio v

Ergo pátruo morem gerens, regísque voluntáti obsecúndans, Elzeário nupsit Massíliæ, solémnem nuptiárum apparátum régia plane magnificéntia celebránte Cárolo Sicíliæ rege. Ab ipso autem de repénte nuptiáli convívio virum sibi privátim ádhibens, et supplex ac lacrimabúnda ad ejus áccidens génua, emíssum virginitátis votum apéruit tanta prorsus sermónis efficácia, Deo scílicet intus movénte et in corde sponsi suáviter agénte, ut Elzeárium ad præcelléntem virgináli in matrimónio castitátis amórem impúlerit ; tandémque repetítis précibus id assecúta est ut conjux virgíneæ integritátis máxime árduum cum ipsa votum emíserit. Quo simul astricti, vigínti septem per annos ita in conjúgio vixérunt, ut ipsórum virginále lílium ardóre conjugáli numquam emarcúerit.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem ;

℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Lectio vi

VITA functo beáto cónjuge, in quoddam clientelári jure nóbile prædium secédens, tanto evangélicæ perfectiónis amóre cœpit exardéscere, ut non solum illústria véndere prædia eorúmque prétium paupéribus erogáre, sed étiam perpétuo paupertátis voto seípsam obstríngere ánimo decréverit. Quod ut statim perfíceret, non mediócriter confirmávit immíssum cælitus maniféstum lumen, indéque elápsa Elzeárii vox : Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus. Ergo post iterátas preces facta demum a rege líbera vendéndi potestáte ; primo Neápoli amplíssimam comitátus Ariáni supelléctilem, mox in Provínciam revérsa, sua ómnia álacri ánimo abalienávit, et in aléndos páuperes, ut proposúerat, expéndit. Ipsa paupertátis voluntáriæ exercítio addícta, Aptam Júliam ad sponsi sepúlcrum se cóntulit, ubi victum ostiátim emendicándo, vitam paupérrimam ægérrime sustentávit. Morti próxima, percéptis summa cum veneratióne Eccléssiæ sacraméntis, sacráque Evangélii lectióne in extrémo certámine aliquántulum recreáta, migrávit ad Dóminum sexto Kaléndas Decémbris, ætátis anno septuagésimo sexto, et reparátæ salútis trecentésimo sexagésimo supra millésimum. Heróicas illíus virtútes, variáque, quibus ante et post óbitum fulsit, mirácula decréto comprobávit Urbánus quintus. Corpus ejus, olim in ecclésia Fratrum minórum, nunc vero in parochiáli ecclésia Apténsi summa ómnium veneratióne cólitur.

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, pró-

spere procéde, et regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III Noct. Homil. in Evang. Símile est, de Comm. Virg. 2º loco.

Lectio ix S. Silvestri.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum, * hómini negotiatóri quæ-rénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DEUS, qui nobis in beáta Delphína Vírgine sponsa, invíctæ puritátis insígne monuméntum præbuísti : concéde, quæsumus, ut, ejus exémplo et auxílio roboráti, pro castitáte contínuo dimicémus, ac tandem victrícibus líliis cum ipsa coronémur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Silvestri et S. Petri Alexandrini.

Vesp. a Capit. de seq., et fit Com. præced. ac S. Silvestri, ut infra.

DIE 27 NOVEMBRIS

SANCTI SIFFREDI
CARPENTORACTENSIS EP. ET CONF.

Duplex

(Carpentoracte, dupl. 1 cl. cum Oct. comm.)

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECCE sacérdos magnus qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus, et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

QUÆ dies tanto celebráta cultu !
Cívitas omnis volat ad sepúlcrum
Præsulis, cujus cíneres recóndit,
Terra beátos.

Hæc rudi quondam tumuláta saxo,
Sacra Siffrédi venerátur ossa :
Quisquis hic orat, sibi mox probábit
Numen amícum.

Lux erat cæco, cólumen labánti,
Una spes lapsis, misero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibúsque
Omnia factus.

Prófuit vivus, favet et sepúltus ;
Vis salutáris fluit e sepúlcro ;
Turba languéntum, properáte, præstat
Ille salútem.
Quæ fuit vivo tibi cura, Præsul,
Hanc, licet vectus super astra, serves,
Et tuam, nostræ bone tutor urbis,
Réspice gentem.
Hæc Deo cives posuére templa
Quæ tuum dicent, sine fine, nomen :
Jure te patrem vocat et patrónum
Civis et hospes.
Præpotens mundi Moderátor, unus
Et trinus regnans, précibus Siffrédi
Súpplicem cœtum pius ad supérna
Dírige regna. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Siffréde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Ego Dóminus * vocávi te in justítia, apprehéndi manum tuam, et servávi te, et dedi te in lucem géntium, ut aperíres óculos cæcórum.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui beátum Siffrédum Pontíficem in curándis córporum morbis et dæmónibus effugándis mirábilem effecísti ; ejus nobis intercessióne concéde, ut, ab ómnibus adversitátibus liberáti, diabólica possímus vitáre contágia et te solum Deum pura mente sectári. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui nobis in beáta Delphína Vírgine sponsa, invíctæ puritátis insígne monuméntum præbuísti : concéde, quæsumus, ut, ejus exémplo et auxílio roboráti, pro castitáte contínuo dimicémus, ac tandem victrícibus líliis cum ipsa coronémur.

Deinde S. Silvestri.

Si I Vesp. dicendæ sint integræ, Ant. de Laud., Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 116 Laudáte

Dóminum, omnes gentes, reliqua ut supra.

Complet. Feriæ.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Regem Confessórum, qui beátum coronávit Siffrédum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

PÓNTIFEX terris rápitur Siffrédus,
Læta dum cæli fremit aula plausu ;
Nos simul junctis celebrémus hymnis
Astra peténtem.

Hunc juvat festo celebráre cantu,
Qui, licet magnis méritis abúndans,
Flens et invítus, fuit ad treméndum,
Vectus honórem.

Flore sub primo víridis juvéntæ,
Pátriam dulcem, cómites, paréntem,
Dúlcius cælum méditans profúnda
Mente, relíquit.

Liber ut curis strepitúque rerum,
Vix domo sancta júvenis recéptus,
Cum palam virtus métuens vidéri,
Nota refúlsit.

Tanta lux illo nequit abdi in antro ;
Te probant mundo manifésta signa :
Pósceris pastor, tua te retéxit
Máxima virtus.

Dum Lerinénsi látitas in æde,
Nostra jam sedes viduáta patre,
Voce concórdi, procul evocátum,
Te legit unum.

Solus obsístis, trépidans coróna
Frons horret cingi, grave pondus horres :
Quam prius Christus tulit hirta spinis,
Una placéret.

Summa laus summo super astra Patri,
Fílio compar Hómini Deóque
Nec tibi dispar, utriúsque sacri
Nexus amóris. Amen.

In I Nocturno

Ant. et Pss. Feriæ.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lectio i Cap. 3, 1-7

FIDÉLIS sermo : Si quis episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo epíscopum irreprehensíbilem esse, unius

uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum, ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. Laudémus virum gloriósum, et paréntem nostrum, beátum Siffrédum in generatióne sua * Quem nobis divína bónitas perféctum virtútis exémplar imitándum propósuit. ℣. Tamquam lignum cæléstibus grátiis irrigátum, ubérrimos virtútum fructus germinávit. Quem.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1, 7-11

OPÓRTET enim epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem : non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum ; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem : ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere. Sunt enim multi étiam inobediéntes, vaníloqui et seductóres : máxime qui de circumcisióne sunt : quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátia.

℟. Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. * Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. ℣. Quasi sol effúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Qui curávit.

Lectio iii
Cap. 2, 1-8

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam : Senes ut sóbrii sint,

pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia : Anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes : ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile : ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Viæ ejus viæ pulchræ : * Et omnes sémitæ ejus pacíficæ. ℣. Verba Dómini erant in corde ejus, et narrávit ea fíliis suis. Et. Glória Patri. Et.

In II Nocturno

Lectio iv

SIFFRÉDUS, nóbili génere, ex Campánia oriúndus, una cum patre, qui, abjécto cíngulo militári, mundo renuntiáverat, ad monastérium Lerinénse se cóntulit ; ibi pius Pater, per áliquot annos, regulárem observántiam summa cum laude profés-sus, obdormívit in Dómino. Siffrédus vero sub sancto Cæsário tunc abbáte, et póstea Arelaténsi epíscopo, tantum in virtútibus et lítteris assequéndis profécit, ut ab ómnibus tamquam doctrínæ, et ómnium virtútum exémplar haberétur. Tanta fuit ejus sanctitátis fama, ut, nondum sacris initiátus, a clero populóque Venascénsi, eléctus sit epíscopus ; at ipse tanto óneri se ímparem exístimans, quámdiu pótuit, recusávit ; coáctus tamen obediéntia, ad sanctum Cæsárium Arelaténsem epíscopum ductus, ab eo sacris ordínibus initiátus, epíscopus consecrátus est.

℟. Omnibus ómnia factus est sanctus pastor, * Ut omnes fáceret salvos. ℣. Optávit et ipse anathéma fíeri pro frátribus suis. Ut.

Lectio v

IN episcopátu, consuéta vivéndi ratióne reténta, sanctitátis suæ rádios longe latéque diffúdit. Abstinéntia erat admirábili, carnem jejúniis, vigíliis, cilício pene contrítam, pane et aqua cum parvo lentículæ edúlio sustentábat. Oratióni assíduus, noctes sæpe ducébat insómnes, cæléstium contemplatióni defíxus. Páuperum et infirmórum pius Pater, in ipsórum tugúria sæpíssime pedem íntulit pastorálem, ut eos et verbo vitæ refíceret, et larga manu subleváret. Pastor vigilantíssimus, gregem sibi créditum sacraméntis et verbi divíni pábulo páscere numquam intermísit, sacrosánctam pro ipsórum salúte júgiter ófferens Hóstiam. Ad augéndum divínum cultum plures eréxit basílicas, in honórem Sanctíssimæ Trinitátis, beatíssimæ Vírginis Maríæ, et sancti Joánnis Baptístæ ; unam étiam in Castro Carpentorácti in honórem sancti Antónii, ubi longe ab hóminum consórtio uni Deo et sibi auctis sólitus erat, ut, auctis ánimi víribus, alácrior ad oves bonus pastor redíret.

℟. Diléxit, Dómine, servus tuus decórem domus tuæ, * Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. ℣. Elégit abjéctus esse in domo Dei, magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. Et.

Lectio vi

SERVI sui sanctitátem magnis et innúmeris miráculis Deus testátam vóluit. Mórtuum cléricum, ob morum integritátem sibi caríssimum, ad vitam revocávit. Cæcis lumen réddidit. Infírmis, ad eum ex omni parte veniéntibus, sanitátem restítuit ; oppréssos a dæmone liberávit. Spíritu prophético afflátus, plura humánæ cognitióni prorsus impérvia cognóvit, et córdium secréta intimósque ánimi sensus introspéxit ; jam vero sénio pene confectus, ut divíno quo æstuábat ardóri totum se mancipáret et super gregem diligéntius invigiláret, juxta basílicam sanctíssimæ Dei Genitrícis, ab

ipsómet ædificátam, domúnculam eréxit. Ibi pius Pastor diu noctúque in lege Dómini méditans, cum jam vitam dúceret angélicam, et ad cæléstia gáudia anheláret ardentíssime, óbitus sui diem, máxima cum lætítia cognóvit; tunc, clero et pópulo quibus erat in delíciis, convocátis, eos ad fidem, caritátem, ceterásque virtútes multum est adhortátus. Tandem quinto Kaléndas Decémbris, sénsibus íntegris, in oratióne defíxus, migrávit in cælum. Sepúltus est Venásci in basílica Sanctíssimæ Trinitátis, et ad ejus túmulum innúmera patráta sunt mirácula, quoadúsque, Deo sic permitténte, mirábili prorsus modo factum est, ut sacri córporis exúviæ Carpentorácti conderéntur in ecclésia ejus nómine Deo dicáta, ubi religiosíssime colúntur.

℟. Hic est fratrum amátor, et pópuli Israël: * Hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte Jerúsalem. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit. Hic. Glória Patri. Hic.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 9 in Evang.

Léctio sancti Evangélii, fratres caríssimi, sollícite consideráre nos ádmonet ne nos, qui plus céteris in hoc mundo accepísse áliquid cérnimur, ab auctóre mundi grávius inde judicémur. Cum enim augéntur dona, ratiónes étiam crescunt donórum. Tanto ergo esse humílior atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quanto se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo qui péregre proficíscitur, servos suos vocat eísque

ad negótium talénta partítur. Post multum vero témporis positúrus ratiónem revértitur : bene operántes pro apportáto lucro remúnerat, servum vero a bono ópere torpéntem damnat.

℟. Propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi ómnia arbitrátus est stércora : * Ut Christum lucrifáceret. ℣. Perambulávit in innocéntia cordis sui, in médio domus suæ. Ut.

Lectio viii

Quis ítaque iste homo est qui péregre proficíscitur, nisi Redémptor noster, qui, in ea carne quam assúmpserat, ábiit in cælum ? Carnis enim locus próprius terra est ; quæ quasi ad peregrína dúcitur, dum per Redemptórem nostrum in cælo collocátur. Sed homo iste, péregre proficíscens, servis suis bona sua trádidit ; quia fidélibus suis spirituália dona concéssit. Et uni quidem quinque talénta, álii duo, álii vero commísit unum. Quinque étenim sunt córporis sensus, vidélicet : visus, audítus, gustus, odorátus et tactus. Quinque ergo taléntis, donum quinque sénsuum, id est, exteriórum sciéntia, exprímitur. Duóbus vero, intelléctus et operátio designátur. Unius autem talénti nómine, intelléctus tantúmmodo designátur.

℟. Veníte, fílii, audíte me : * Timórem Dómini docébo vos. ℣. Constitútus sum super montem sanctum ejus, prædicans præcéptum ejus. Timórem. Glória Patri. Timórem.

Lectio ix

Sed is, qui quinque talénta accéperat, ália quinque lucrátus est : quia sunt nonnúlli, qui, etsi intérna ac mystica penetráre nésciunt, pro intentióne tamen supérnæ pátriæ docent recta quos possunt ; de ipsis exterióribus, quæ accepérunt, duplum taléntum portant ; dumque se a carnis petulántia et a terrenárum rerum ámbitu atque a visibílium voluptáte custódiunt, ab his étiam álios admonéndo compéscunt. Et sunt nonnúlli, qui, quasi duóbus taléntis ditáti, intelléctum atque opera-

tiónem percípiunt, subtília de intérnis intélligunt, mira in exterióribus operántur ; cumque et intelligéndo et operándo áliis prædicant, quasi duplicátum de negótio lucrum repórtant.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 Dabo vobis pastóres * juxta cor meum, et pascent vos in sciéntia et doctrína.

Pss. de Dominica.

2 Elégit ipsum Dóminus * offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem pro pópulo suo.

3 Nocte ac die * operántes, prædicávìmus in vobis Evangélium Dei.

4 Sermo meus * et prædicátio mea, non in humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis.

5 Mirábilis Deus * in sanctis suis, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ.

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est justus, et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

QUID times sacris, veneránde Præsul,
Infulis sacram redimíre frontem ?
Te Deus poscit ; fácilis precántum
Annue votis.

Quæ diu frustra stúduit latére,
Mille porténtis tua nota virtus,
Instar accénsæ facis emicábit
Major ab alto.

Jússibus cedit, lacrimánsque tristem
Præbet assénsum, lácrimæ decóræ !
Ipsa quas fudit, sibi dum timébat,
Pródita virtus.

Ad novum munus nova signa currunt :
Lux datur cæco, sua mens furénti,
Ambulat claudus, loquitúrque mutus,
Surdus et audit.

Imperat morbis, ábigit malígnos
Spíritus, cordis pénetrat recéssus,
Luce defúnctos vocat ad prióris
Múnera vitæ.

Próximus morti, sítiens Olympum,

Quo sacrum pectus cremat intus, igne
Totus absúmptus rápido volátu,
Fertur in astra.
Qua via celsas tibi pandis arces,
Fac tuos illa. Pater, ire natos,
Et tua tandem prece nos beátis
Sédibus adde.
Qui pari sese rédamant amóre,
Summa laus Patri, Genitóque summa ;
Laus tibi compar, utriúsque sanctum
Flamen amóris. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Apprehéndi te * ab extrémis terræ, et vocávi te, et dixi tibi : Servus meus es tu, elégi te ; ne tímeas, quia ego tecum sum, ego Deus tuus.

Oratio

OMNÍPOTENS et miséricors Deus, qui beátum Siffrédum Pontíficem in curándis córporum morbis et dæmónibus effugándis mirábilem effecísti ; ejus nobis intercessióne concéde, ut, ab ómnibus adversitátibus liberáti, diabólica possímus vitáre contágia et te solum Deum pura mente sectári. Per Dóminum.

Ad Horas min. Ant. et Pss. Fer. Capit. et ℟℟. de Com. Conf. Pont.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Dabo vobis pastóres * juxta cor meum, et pascent vos in sciéntia et doctrína.

Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 131 Meménto, Dómine, David.

2 Elégit ipsum Dóminus * offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem pro pópulo suo.

3 Nocte ac die * operántes, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

4 Sermo meus * et prædicátio mea, non in humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis.

5 Mirábilis Deus * in sanctis suis, ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ.

Capit. Eccli. 44, 16-17

ECCE sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est justus, et in témpore ira-

cúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

QUÆ dies tanto celebráta cultu !
Cívitas omnis volat ad sepúlcrum
Præsulis, cujus cíneres recóndit,
Terra beátos.
Hæc rudi quondam tumuláta saxo,
Sacra Siffrédi venerátur ossa :
Quisquis hic orat, sibi mox probábit
Numen amícum.
Lux erat cæco, cólumen labánti,
Una spes lapsis, mísero levámen,
Próvidus cunctis pater, omnibúsque
Omnia factus.
Prófuit vivus, favet et sepúltus ;
Vis salutáris fluit e sepúlcro ;
Turba languéntum, properáte, præstat
Ille salútem.
Quæ fuit vivo tibi cura, Præsul,
Hanc, licet vectus super astra, serves,
Et tuam, nostræ bone tutor urbis,
Réspice gentem.
Hæc Deo cives posuére templa
Quæ tuum dicent, sine fine, nomen :
Jure te patrem vocat et patrónum
Civis et hospes.
Præpotens mundi Moderátor, unus
Et trinus regnans, précibus Siffrédi
Súpplicem cœtum pius ad supérna.
Dírige regna.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Siffréde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. Ant. Ecce ego * addúcam eos ab extrémis terræ, inter quos erunt cæcus et claudus; in fletu vénient, et in misericórdia redúcam eos.

Oratio Omnípotens, ut supra.

Complet. Feriæ.

INDEX

PARS AUTUMNALIS

2 Sept. — S. Agricoli Ep. et Conf., *dupl. maj.* In Civit.
3 Avenion. : *dupl. I cl. cum Oct. comm.*. 3
4 — — Bb. Joannis Capeau et Soc. Mm., *dupl. maj*. . 14
6 — — De III die infra Oct. S. Agricoli, *semid*. . . 17
— — De V die infra Oct. — *semid*. . . 19
7 — — De VI die infra Oct. — *semid*. . . 21
9 — — Octava S. Agricoli, *dupl. maj*. 22
25 — — S. Castoris Ep. et Conf., *dupl.* Aptæ, *dupl. maj*. 25
27 — — S. Elzearii Conf., *dupl.*, Ansoissiis : *dupl. II cl.* 31
1 Octobris. — S. Remigii Ep. et Conf., *dupl. maj*. . . 34
3 — — S. Teresiæ a Jesu Infante Virg., *dupl. II cl*. 34
8 — — Dedicatio Ecclesiæ Metropol., *dupl. I cl. cum Octava comm*. 34
9 — — Ss. Dionysii et Soc. Mm., *dupl*. . . . 34
12 — — De V die infra Oct. Dedicat., *semid*. . .
15 — — Octava Dedic. Eccl. Metropol., *dupl. maj.* 34
17 — — S. Florentii Ep. et Conf., *dupl.* Arausicæ, *dupl. maj*. 35
5 Novembris. — Commem. omn. Sanctorum Diœc. Avenionensis, *dupl. maj*.. 38
6 — — S. Stephani Ep. et Conf., *dupl*.. 48
6 — — Dedicatio propriæ Ecclesiæ, *dupl. I cl. cum Octava comm*.. 50
7 — — Sacrarum Reliquiarum quæ in Eccl. Diœcesis asservantur, *dupl. maj*. 51
11 — — S. Martini Ep. et Conf., *dupl. maj*. . . 54
13 — — S. Verani Ep. et Conf., *dupl*. 54
Cabellione, *dupl. I cl. cum Oct. comm*. .
— — Octava Dedicat. propriæ Ecclesiæ, *dupl. maj*.. 63
14 — — S. Rufi Ep. et Conf., *dupl. II cl*. . . . 64
21 — — Præsentatio B. M. V., *dupl. II cl*. . . . 68
26 — — S. Delphinæ Virg., *dupl.* Ansoissiis : *dupl. maj*. 68
27 — — S. Siffredi Ep. et Conf., *dupl.* Carpentoracte, *dupl. I cl. cum Oct. comm*. . . . 71

DIOCESE D'AVIGNON

Bse Iphigénie de St-Mathieu
et ses Compagnes - Martyres- 3° Cl.
Pour le ST-SACREMENT : demi-festif.

Au IIème Nocturne

Leçon IV

A la fin du XVIII° siècle, tandis qu'une terrible tempête, qui a mérité le nom de "Terreur", dirigeait ses efforts contre l'Eglise du Christ, 32 religieuses subirent à Orange un éclatant martyre.

De ces religieuses :
16 appartenaient à la Famille de Ste Ursule
13 à l'Ordre des Soeurs de l'Adoration du Très Saint-Sacrement,
2 à l'Ordre fameux de Cîteaux
et 1 enfin à l'Ordre de St-Benoît.

Pour avoir refusé le serment schismatique qu'on leur demandait, elles furent injustement chassées de leurs divers Monastères et elles se réunirent dans une maison qu'elles avaient louée. Là, elles continuèrent à observer leurs voeux avec une fidélité parfaite et à mener toutes ensemble leur vie religieuse.

Malgré l'extrême pauvreté dont elles souffraient, elles ne cessèrent pas, pendant deux ans, de vaquer à la prière, aux jeûnes et autres mortifications extérieures.
A plusieurs reprises elles refusèrent de prêter le sermont et restèrent fidèlement attachées à l'Eglise catholique. C'est pourquoi les gendarmes les arrêtèrent, les conduisirent à Orange et les jetèrent en prison.

LECON V

Sans se laisser affligor par les rigueurs de la prison, elles n'eurent rien de plus à coeur que de continuer leur vie religieuse dans une merveilleuse allégresse que tous admiraient.

Dans un accord unanime, elles suivirent toutes le même règlement donnant tous leurs soins à la prière et aux autres exercices.

Poussées par une exquise charité, elles s'efforçaient d'aider leurs compagnes de captivité par leurs bons conseils. Elles les consolaient, les instruisaient, leur apprenaient à supporter patiemment les privations et les incommodités de la prison.

Si bien que beaucoup de leurs compagnes furent amenées à une vie plus chrétienne et d'autres, soutenues par l'espérance des récompenses éternelles endurèrent vaillamment les souffrances de la captivité

LECON VI

Conduites devant le tribunal par des hommes méchants, les très pieuses vierges ne furent ni tentées par les promesses, ni effrayées par les menaces; et désireuses d'obéir à Dieu plutôt qu'aux hommes, elles ne purent être amenées à prononcer le serment. C'est pourquoi elles furent condamnées au dernier supplice et reçurent leur arrêt de mort avec une grande joie.

Dans la prison, en attendant leur exécution, elles s'exhortaient mutuellement Par des hymnes et des cantiques elles préparaient leurs âmes à subir la mort ave

grand courage. Du temps qu'on les conduisaient au supplice, elles aspiraient aux célestes noces et elles furent tellement remplies de joie qu'elles remerciaient Dieu par des cantiques d'action de grâce.

Non seulement elles pardonnèrent à leurs persécuteurs et à leurs bourreaux, mais elles les remerciaient leur témoignant plus de reconnaissance qu'à leurs propres parents puisque, grâce à leur supplice et une fois leur tête tranchée, elles allaient s'envoler vers le Céleste Epoux et recevoir la couronne de gloire.

Les persécuteurs admiraient leur courage et disaient : "seule la religion catholique peut ainsi les soutenir".

Le dixième jour de mai de l'an 1925 année du Jubilé universel, le Pape Pie XI inscrivit ces 32 Martyres au catalogue des Bienheureux.

D exeúnte sæculo dum funestíssima in Gállia tempéstas, quæ a terróre nomen accépit, advérsus Christi Ecclésiam invalésceret, duæ ac trigínta moniáles, quarum sédecim ex Ursulinárum Família, trédecim ex Congregatióne sorórum ab Adoratióne

bus comprehensæ, ut que Arausiónem ductæ, in víncula conjéctæ sunt.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.